ว ว- II-56

SPECULUM
HOMINI ECCLESIASTICO,
CURATORI ANIMARUM,
Functiones Apostolicas exercenti,
in Considerationibus, Ecclesiasticum
Statum concernentibus
PROPOSITUM.

MAGNO NOMINI & HONORI
JLLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI
DOMINI DOMINI
JOANNIS CLEMENTIS
in Tyczyn, Tykoćin, Ruszcza, Comitis,
In BRANICE
BRANICKI,
Supremi Vexilliferi, & Campestris Regni DUCIS,
Branscensis, Bielscensis, Krosnensis, Vasilkoviensis, &c.
CAPITANEI

Suo Lucem Publicam Indigetis sui
DEDICATUM.

Typis Monasterij Supraslienſis Ord: S. Basilij M. A.D. 1741.

In
AVITUM STEMMA.

22:242
S/4
282
S/4
Czyt. Księgozb.
w Białymstoku



Aſtra petit pennis: greſſu formatq; Leonem,
Diviſum ecce Decus, cum Jove GRYPHUS habet.
Hæc Domus eſt! cujus meritis vix ſufficit Orbis,
O ſuperi! detis, quid cupit illa ſibi.

JLLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO Domino Domino Mecænati Ampliſſimo.

IO! Triumpha Sacrum certamen, attollite, attollite victrices laureas jucundi quiâ Deiferi animarũ debellatores; Gradivus Patriæ, Ducem Veſtrum Patremq́ gerit: Ergo ne Atticas recoles umbras Apoſtolica Aſceſis? progredere jam Feſtivo Paſſu ad lucem publicam; explica cæligenos Chriſti odores,

dum te sub Ducali Laticlavio Virtutum præcurrunt Phænomæna. Si manus Domini cum JOANNE *est, primum sanè Lechici hujus Hectoris æternitate coronandum signum.* Pro Fide, Lege, Patria, *Togâ & Sagô, Marte & consilio decertantis:* ✻ *Si Gratia Domini* JOANNES, *tot è clarissimo zeli speculo lucrari spera Gratias, quot Divos Gratianos; tot gratissimos in Duce Salvatore Heroës, quot Virôs Apostolicos, tot animas Cælestibus asseri Gratijs, quot Suffragantes inclyti suspirij elicientur actus: Si itaq; nemo surrexit major* JOANNE; *Protector Statûs Ecclesiastici, Antesignanus Juris Orthodoxi.* JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS COMES & DUX BRANICKI, *Magnus* Sangvine, *Major* meritis, *maximus* Virtute. *Et cum lustranda occurrant, arctissimo facundiæ puncto,* GRYPHIANÆ

* Carolus 5. Rex Galliæ gloriabatur se habuisse milites legum & milites armorum.

PHIANÆ DOMUS *Decora, à tot tantisq́ Principibus, à tot Ducum Purpuris, à tot Regum Serenitatibus, nativa origine promicantia; videre est Celsissimum Principem* JAXA *vel ideo à Serenissimo* LECHO Tertio *Avitos derivantem splendores, quod inde in accenso Honorum aprico, summa magni* Nominis *steterit perfectio. Verberat oculos seu solaribus radijs* SULISLAUS *Palatinus Cracoviensis, Primus in Aquilifera* ✻ *Curuli Senator, Primus & in* Ruszcza *Comes, Patriarumq́ Prærogativarum Hæres. Addit illecebras obtutui genuinum solis Jubar,* Filius *videlicet Clemens Comes in* Ruszcza *Palatinus itidem Cracoviensis, meritò Regum Regnorumq́ decus, à Casimiro* Pudico *Rege Poloniæ, isto nunquã obliterando adornatus Elogio:* Noscat præsens ætas & postera, quod nos confidis rantes Fidelitatem & probitatem Clemente

✻ Palatinatus Cracovienſis habet pro ſtemmate Aquilam.

de Ruſzcza Palatini Cracovienſis, quando Dux (Conradus) coadunatis ſibi 4. Principibus, Terram noſtram intravit, ille, ſicut fidelis & ſtrenuus Bellator, Duces in campo Suchodol invaſit, proſtravit, & in fugam convertit: &c. *Adſint adhuc Sarmatici Poli lumina,* JLLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI, COMES *Dapifer Cracovienſis, Capitaneus Sanocenſis, Amor ſolatiumq́. Magni* Regis CASIMIRI: COMES BRANICKI *Supremus Regni Dapifer, Capitaneus Chęćineńſis, in Bellicis æſtibus, robore & Conſilio, pluſquam Pompejus.* JOANNES CLEMENS MARESCHALCUS Curiæ Regni, *Fabium & Scipionem præclare factis ſuperans: Et jam cogor Jliadem in nucleum redigere, Solem in optico coarctare, dum Progenitorem* TUUM Magnanime DUX, *inceſſante ſæculorum ſerie memorandum,* Jllum Jllum! Stepha-

num

num Nicolaum BRANICKI, *Palatinum Podlachiæ, in viva adumbro mente, Quem Majestas Angelum Consilij, Respublica Patrem Patriæ experiendo, dignum tanto Senatore, politici Statoris recognoscit edictum pro gratitudine.* In summa Fortuna, magis Consilia, quam manus & tela valent. * *Hic sub augustissimas* GRYPHI *Tui alas,* SOBIESCIORUM, *coronati clypei,* WISNIOWIECCIORUM, *plenæ Regia Dignitate Cynthiæ,* RADIVILIORUM, LUBOMIRSCIORUM, SAPIEHARUM, SANGUSZKONUM, TARŁONUM, ODROWONZIORUM, SIENIAWSCIORUM, *Celsissimæ convolant Cæræ. Hic primæ Magnitudinis radiant sidera,* CZARNECCIORUM, MNISZCHONUM, DONHOFFORUM, OGINSCIORUM, CHODKIEWICIORUM, *aliorumque vetustissima, veluti è Pantheone Honorũ constu-*

* Lyræus in Apophægmatis.

confluentia Nomina: ſed mihi ſat ej-
JLLUSTRISSIME MECÆNAS, *amplitudinem* Sangvinis Tui, *peculiari ligatæ ſvadæ depingere Enthuſiaſmo.*

Si genus excutiat? Reges ab Origine Longa,
Uſq; per innumeros invenientur Avos. *Ovid:*

A *Domeſticis claritatibus, itur iam venerabunda ſtyli brevitate, ad* Meritorum Tuorum *Faſtigia* JLLUSTRISSIME MECÆNAS, *illa potius merita, conor effundere paginæ, quibus pro codice vaſtitas Cæli extendi deberet: Quid ergo tenuitas mea prodigium eloqui autumas? ſi tota Patria univerſum OS fieret, non alia tanto ore proferret verba, niſi* NEMO SURREXIT MAJOR JOANNE *meritîs erga* Reges, *meritîs erga* Patriam, *meritîs erga* Fidem. *Non aliud* TIBI *fuiſſe unquam in pretio præclare geſtum, non aliud Benemerentiæ ſpecimen, niſi pro commodo* Salutis *publicæ, pro utilitate totius Patriæ. Nefas ergo eſt revoca-*

re ad

re ad Syllabum, illa æſtimatiſſima facinora, de quibus Graja loqui, Romana vix valeret vetuſtas; In uno Conſiliorum Tuorum *pondere, omnes colligere activitates, in uno ad mentem Patriæ ſentimento, omnium adorare capita, in uno ferventiſſimo pro legibus ore, graviſſimos oraculorum ſenſus, (plus referam) in uno* DUCE, *Martiam Triumphorum arenam, integrum Lechiæ robur, Vitam Patriæ admirari neceſſe eſt. Radiantem adeoq; Meritorum & Gloriæ* TUÆ *Splendorem, nulla veſana invidia letheis obruet undis; Quid imò!* Scipioni *validiſſimo Romanos ultra Africam promoventi Triumphos, Elogiari acclamatum orexi, id pro Laude Meritorum* Tuorum, *non niſi* penes Regios Latiosq; Penates *cedrinis notandorum Tabulis, Oratoria affirmo auxeſi,* Scipionem dic & ſatis Laudaſti, BRANICCIUM dic & ſatis Laudaſti.

DEnig dum Honor Honori sibi ducit, magno Tuo *famulari* Nomini; Virtutum Tuarum *prænunciare Lucem, humilis desudat Panegyristes; Tanto enim Talentorum irradiari cerneris fulgore, ut Serenissimi etiam Regnorum Soles, habeant, quid considerent, ament, æmulentur. Illa* Tibi *Regiô digna animô magnaminitas,* in secundis, non flecti, in adversis non frangi, * *Tutelaris in recurrentes admissio, Liberalitas in egenos, Benevolentia in Clientes: Justitia cum gratijs, rigor ita æmulari videtur cum clementia, ut Orbis Sarmaticus grandem virtutum* Tuarum *demiretur Maiestatem. haud possum & hunc Probitatis Tuæ luculentissimum Testem tegere, á Dijs scilicet inarandam erga Ecclesias DEI & Sanctos Ejus Propensionem: iactat se huc usq; urbium & Orbis Domina, ab Joanne Senatore Romano, in Honorem Sanctissi-*

mæ

* P. Porre, Orator Gallicanus.

mæ Deiparæ *erectam, possidere Ecclesiam, gloriatur non immeritò, & Podlachiæ Portus, Te suum Florentissimum sub Titulo Divinissimi Pneumatis veneratur Fundatorem; ast stellatum de cardinibus suis movere vellem firmamentum, si singulas Virtutes* Tuas *in Clientelares contrahere attentarem Schedas: Sufficit ad Nominales* Indigetis Tui *plausus, ora solvere in exclamationem, quod maximo* Virtutibus DUCI, NOMEN JOANNES.

SUb Tui *ergo* NOMINIS & HONORIS *Labaro, speculum* Functionum Apostolicarum, *publicâ intueri debuit lucem, in* Te *enim veluti in speculo universæ ad gloriâ relucent dotes, excellentes radiant qualitates: Imitaberis* DUCUM Generosissime *Progenitorem* Tuum *carissimũ, ille Operâ Generalis Lojolanæ Religionis * particeps fuerat Privilegiorũ & meritorũ ejus, cliẽs*

verò

* Reverendissimus Pavlus Oliva.

verò Tibi Aſceticas Conſiderationes, *ex nexu nominalis dedicando Tributi, ſpondet & ab inclytis harũ* Meditationum *Operarijs, pro longævo* Tuo *Dominio, Sacras ad Divina Sacrificia, ſuſpiriorum elici & litari ſcintillas, ut quot quot in Orbe Mitræ Ducum, Regum purpuræ, Auguſta Imperatorum ſolia, Suos habuerint* JOANNES, *quot Vaticana Sedes* * TUI NOMINIS *celebraverit Portitores, quot in Annalibus numerantur Joannis nomina, tot Fortunatiſſimos experiaris Soles, tot vive Annos.*

ita precatur

NOMINI & HONORI TUO

devinctiſſimus, æviterni obſequij
Servus & Exorator
Religiographus.

* Hujus nominis Papæ numerantur 23. præter alios plurimos ſtatus.

Facultas Illustrissimi Loci Ordinarij.

LIber, cui Titulus *Speculum Homini Ecclesiastico Propositum*, à devoto quodã Presbytero editus, quatenùs in Diœcesi Nostra Luceorienſi, vel Brestenſi, prævio Theologorũ ſcrutinio, Typis mandari valeat, Facultatem concedimus.

Dat Varſaviæ Die 16. Menſis Octobris Anno Dñi 1740.

FRANCISCUS EPISCOPUS. *mp.*

Ad LECTOREM.

OPusculo huic posthumo non poterat Auctor ultimam imponere manum, nec quæ scripsit ad incudem revocare. Quare si vel styli asperitas, vel repetitæ similitudines, aut aliud ejusmodi quandoq; hic occurrat, quod te amice Lector offendat, id morti imputes, quæ quodvis propositum & consilium opusq; cæptum interverit ac destruit. Et si Parentum mors præmatura fœtus informes reddit, non mireris Amice Lector, si aliqua in hoc opere ad sensum Auctoris proximè non accedant. Satagerem nihilominùs ut sensus ex revisionis defectu quandoq; obscurus, aut ex Typographi incuria hiulcus, eo modo ad intelligendum redderetur utilis, quo scripturus fuisse credendus est Auctor, si vita & tempus illum ad revidendum & perpoliendum opus non defecissent. Intelliges facilè in hoc Opere, Auctorem Missionarium Apostolicum, zelò, prudentiâ celeberrimum, Spiritu Ecclesiastico plenum, ea quæ hic annotavit ex abundantia cordis scripsisse, ac id in votis habuisse, ut per attentam harum Considerationum Meditationem, velut in speculo interior status Animæ tuæ tibi patefieret. Satisfacies desiderijs ejus, si quotidie mediam saltem horæ partem tibi delegeris ad meditandum. Interea precor Amice Lector ut quod Auctori meritissimo de pluribus vitæ annis defecit, id omne Deus Optimus tibi adijciat ad benevolam lectionem & usum, nec non ad Spiritualem tuum in virtutibus profectum, ac tandem ad animæ tuæ salutem. Vale.

CONSIDERATIO I.

De *Excellentia Functionis Apostolicæ.*

PUNCTUM PRRIMUM.

OPus, quod aggrederis Divinum est, *Divinorum enim Divinissimum esse in salutem animarum cooperari* Inquit *S Dionisius* maximè Rusticanorum ut potè Filio DEI unicè dilectorum, ab omnibus derelictorum. Ipsam DEUS ab omni æternitate cordi habuit, in tempore quoq; Filium suum eo fine misit in mundum, ut Evangelizaret Pauperibus. Ipse quoq; Te mittit ad perficiendũ tantũ negotium: *Ite ecce Ego mitto vos.* Lucæ 10.

Quanta

Quanta dignitas vocationis? quanta indignitas tua! quantus honor? DEI Filio adfimiliari, æstima ergo Ipsam, agnosce indignitatem tuam, gaude quod in societatem Filij DEI ascitus sis, gratias, age, expende, quo fervore, quo Zelo, & puritate intentionis, opus adeò sublime peragerè debeas!

PUNCTUM SECUNDUM.

Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, Evangelizare Pauperibus misit me.* Pauperibus non Regibus, aut Principibus, Inclitis Mundi; noli & Tu ambire auditorium nobile, Pœnitentes Illustres, non magis sis expeditus ad Confessiones divitũ, quã Pauperum, imò magis istorũ, quia *Pauperibus Evangelizare missus es*, illos quidẽ non repellas, sed te benevolũ exhibe, & magis opta ut egeni, quã felices ad te confugiant, ut Filio DEI sis conformior & à vanitate remotior. JESUS Christus Pauperes elegit, Pauperibus se primò manifestavit, *cum simplicibus sermocinatio ejus*, nec tu Purpuratos quære.

Prov: 3.

PUNCTUM TERTIUM.

Joan: 6. *Sicut misit me vivens Pater, & Ego mitto vos. Vivens Pater*, mittit vivũ Filium, Hic te; Non

sis

sis ergò in functionibus tuis Apostolicis tanquâm mortuus à corde. Vita in actione consistit, age & tu, anima illam recta intentione Soli DEO in hoc opere Apostolico placendi, conjunge actiones tuas cum laboribus Christi circa Pauperes susceptis, Offer æterno Patri in unione Illius oblationis, quam Ipse DEI Filius fecit, cũ similia operari dignatus. Postula gratiam, ut ad placitum Divinum á te & cooperarijs tuis perficiatur. Pete Benedictionem pro felici successu Functionum Apostolicarum.

CONSIDERATIO II.

De Zelo Animarum.

PUNCTUM PRIMUM.

Nihil ita gratum est DEO, & ita Curæ, ut animarum Salus, Inquit S. Chrysostomus. Quid igitùr nobiliùs, quid fructuosiùs in vita agi potest Curâ Salutis Animarum? DEI Filio ita Cordi fuit, ut derelictis nonaginta novem ovibus, Angelicis nimirùm Choris, in terram descenderit,

unam

unam aberrantem quærere animam peccatricem, idq; cum ſumma defatigatione, Labore, & diſpendio vitæ. Recogita illius circumitiones per Caſtella & Pagos, Sermones, Orationes, noctes inſomnes, inedias, pro ſalute animarum ſuſceptas. Ardesnè tanto Zelo? qui te Chriſti Sectatorem profiteris? Concipisnè fervens deſiderium Lucrandi animas? Admovesnè manum? libenternè ad Functiones tui Status progrederis? an non tergiverſaris? dum noctu ad Infirmum invitaris? ah quam procul abes, quam modicum Apoſtolicæ vocationi reſpondes!

PUNCTUM SECUNDUM.

2. Tim:4. *IN omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ miniſterium tuum imple.* Vocatio tua tantum Zelum à te exigit, ut Labores, deſudes, Fatigerts circa Proximum, & cum plura patiaris meretur id DEUS, meretur unius animæ pretium. Cur ergo nauſeas in audiendis Confeſſionibus, quid ſubterfugis? quid te nimis gravatum quæris? JESUS ſudat Sangvineo ſudore tuam Salutem operando, & tu otio diffues? JESUS fatigatur, tu quieti indulgebis? pudeat ſub tanto Duce militem eſſe delicatum, non dum ad Sangvinem Laborasti impende

pende & superimpende pro animabus Hominũ.

PUNCTUM TERTIUM.

QUi elucidant me, vitam æternam habebunt. Qui erudiunt multos fulgebunt ut Stellæ in perpetuas æternitates. Si Separaveris pretiosum à vili, quasi Os meum eris. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Quanta merces parvi laboris? Si igitur amor DEI & Proximi non provocat te ad Zelum Animarum, accendat magnitudo præmij. Præter Communem Gloriam peculiäris laureola Confertur Doctoribus, sed super omnia quantum gaudium in illa Beatitudine habiturus es, si vel unius animæ Salus tuo Labore fuerit comparata! cogita quas gratiarum actiones tota æternitate tibi rependet Anima illa, quam tuo labore de Inferno eruisti, & Cœlo asseruisti! quid si 10! quid si 100! age igitur quid quid potes pro Salute animarum, prædica, Ora, Cathechisa, Confessiones excipe, te Ipsum tamen non negligas.

Eccle: 24. Dan: 12. Jerem: 15. Math: 5.

CONSIDERATIO III.

De *Cura sui ipsius.*

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 16 COnsidera aureum Salvatoris nostri monitum: *quid prodest Homini, si universum mundum Lucretur, animæ verò suæ detrimentū patiatur.* Salvare animas, suam perdere, quæ utilitas? alios docere, se negligere, quæ prudentia? alios beatos efficere, se miserum reddere, quis ordo? Salus tua est primum & maximum negotium, primam Curam huic negotio impendere debes, nam & Ipse charitatis ordo id à te exigit, ut primò tuam, deindè proximi Salutem sedulò cures. Quem diligere obligaris non supra te, sed sicut te, & post te. Ita igitur Zelum tuum attempera, ut tua Spiritualia præsidia, quæ te in spiritu conservent, non negligas; ne fias sicut fax accensa, quæ alijs inserviendo ipsa consumitur, aut puteus, alijs aquas propinando, ipse siccatur, non infrequens est, illos, qui alios erudiunt, & ad Salutē perducunt, illos inquam damnari.

PUN.

PUNCTUM SECUNDUM.

QUam dabit Homo commutationem pro anima ſua. Math: 16.
Magni quidē pretij eſt omnis Anima Chriſtiana, quia ingenti ſumptu, Sanguine ac Infinitis meritis DEI Filij empta, tamen tua omnibus debet eſſe pretioſior ác carior, eamq; ſupra omnes æſtimare teneris, ac ut adamantem pretioſum diligenter ſervare, ob nullas occupationes, ac negotia ex toto negligere, ne tibi obtrudatur illud Salvatoris nimium ad exteriora effuſæ, & ſui oblitæ Marthæ, datum monitum: *Sollicita es & turbaris erga plurima,* Lucæ 10.
porrò unum eſt neceſſarium. Regna Mundi, Theſauri, fructus Prædicationum, converſiones animarum, non veniunt in Comparationem animæ tuæ, quia illa amiſſa, recuperári poſſunt, aut ab alio præſtari, at ſi animam tuam perdideris, damnum eſt irreparabile. Tantam igitur illius Curam habe, ut Zelus tuus erga ſalutem proximi ardentiſſimus, tibi non officiat, quinimò ad majus meritum proficiat.

PUNCTUM TERTIUM.

CAſtigo Corpus meum & in ſervitutem redigo, ne 1. Cor: 9.
cum alijs prædicavero ipſe reprobus efficiar.

Cum tanta circumſpectione agendum eſt operario Evangelico, ne proximum ad Infernum cadentem erigendo, ab illo trahatur! Chriſtus Dominus per diem prædicabat, noctes Orationi impendebat, pariter tu qui in Cura animarum verſaris, ſeduló Orationi mentali vacare debes, examina non perfunctoriè peragere, in DEI præſentia ambulare, ordinem & monita ſtatûs tui pro virili ſervare, ad DEUM frequenter cor elevare, pericula prævidere, & ab ejs cavere. O Bone DEUS infunde verum Zelum & charitatem ordinatam Operarijs Evangelicis.

CONSIDERATIO IV.

De
Recta Intentione.

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 6. *SI oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum Lucidum erit*, inquit Salvator. S. Gregorius per oculum intelligit Intentionem, quæ ſi recta ſit, & ad DEI ſolius gloriam directa, etiam opus quantumvis ex ſe indifferens facit bonum

ac

ac meritorium; nam *si Radix Sancta, etiam Ra-* Rom: 11.
mi: Si nequam vanam gloriam intuens, actionem quantumvis Sanctissimam inficiet; nullius meriti & pretij apud DEUM constituet; quinimò pro præmio supplicium in Purgatorio parabit. Quid quæris in actionibus tuis, serio expende! an solius DEI Gloriam? Salutem proximi? an non potiùs plausum? æstimationem propriam? Satisfactionem! vanas amicitias, ut videaris, quæras: non sis tanquàm Chamaleon vento humanæ laudis se pascens. DEUM solum intende, nam si te quæsieris, proprio oculo ut Basiliscus perimeris. Non quæras placere hominibus, ne displiceas D E O. Pullus aquilæ ni irretortâ palpebrâ intueatur solem, tanquàm adulterinus abijcitur; & tu à merito & gratia excides, si puro mentis oculo solem justitiæ non aspexeris.

PUNCTUM SECUNDUM.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 1. Cor: 5.

Hæc infelicitas pravæ Intentionis, quod Apostolicos etiã labores, Summi meriti opera, quæ tanquàm dulcissima bellaria saperent palato JESU, illa faciat amara, abominabilia, de-

testabilia, tanquàm pestis; Sanctissimas actiones inficit, ac veluti fur subtilis suffuratur ipsis pretium apud DEUM; & ut vermiculus ex Sanctissimis operibus prodiens, easq; corrodens ut arescant (veluti hædera apud Jonam) Coram DEO, est peccatum Pharisaicum, præmiô &
Math: 6. mercedê miserum spolians operarium. *Amen dico tibi recepisti mercedem tuam.* Achct miserum! qui mercedem tuam jam recepisti, nec aliud habeas quod speres, ut aranea te evisceraâsti, sudasti, alsisti ex pulpito detonâsti, Latera tua sunt distenta, Sanitas vimpassa, & cæpisti muscam. Cave igitur hanc dulcem Spiritualium expoliatricem, iucundum ac blandum Animarum nostrarum hostem, ne quando conqueraris: Totâ Vitâ laborantes, nil cæpimus.

PUNCTUM TERTIUM.

Joan: 8. *NOn quæro gloriam meam sed Ejus, qui misit me Patris,* hæc meta omnium actionũ tuarum esse debet, nám soli DEO honor & gloria, Ipsi fructum evangelizationis, conversiones animarum, felicem negotiorum successum, adscribe, ante actiones Publicas, ut Sagittarius paulis per subsiste, Scopũ attendendo;

ne desideres Solus aliquid agere, quod ab alijs æque fieri potest, ne ad vanitatem inclineris, non loquaris de fructu Laborum, non attendas applaudentibus, sed totum DEO commenda; ora frequenter cum Psalte: *averte oculos meos, ne videant vanitatem. Non nobis Domine, non nobis sed Nomini Tuo da gloriam.* Absit opus tantum alicujus mercedis aut emolumenti temporalis intuitu peragere. Psalm: 118. Psalm: 113.

CONSIDERATIO V.

De Spiritu Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

NEmo dat, quod non habet, Fons siccus non propinat aquas, nec Lucerna extincta, aliam accendit, nec operarius Evangelicus, Timorem DEI, Compunctionem, devotionem, veram detestationem peccatorum ingenerare alijs poterit, nisi Ipse sit plenus Spiritu Compunctionis, Devotionis, pœnitentiæ, Ardeat Orator, qui vult accendere Plebem. Et

Ope-

Operarius Evangelicus Sanctus sit, si alijs Sanctitatem instillare cupit, ideo Christus Dominus Viros Apostolicos Sali comparavit, hic si recens sit & Spiritualibus abundans, valet ad condiendos cibos, præservat à Corruptione, at postquàm evanuerit, ad nihilum valet ultra nisi ut ejciatur foras & conculcetur ab hominibus; ita operarius Evangelicus sine Spiritu.

PUNCTUM SECUNDUM.

1. Cor. 13. *SI Lingvis hominum & Angelorum loquar, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs Sonans*, seu Campanula, quæ quidem strepitum edit, ad devotionem Populum convocat, illam tamen non ingerit, quia ipsâ caret; Ita Operarius Evangelicus sine Spiritu, vox præterea & nihil. Contra peccata vociferari, ad apparentiam Zelare, in Cura animarum sollicitum esse, facundè, sublimiter, concionari, ista tamen modicum fructum in Populo efficient, quia non procedunt ab interno Spiritu, sed non nisi Superficialiter ad apparentiam. Fortissimus ille Samson non valebat quidquam contra Philistæos, nisi postquam Spiritus irruit in Samsonem; nec Operarius Evangelicus prævalebit

adver-

adversus peccatores, Si Spiritu vocationis Suæ, Unionis cum DEO, Sanctitatis ac veræ devotionis destituatur.

PUNCTUM TERTIUM.

CHristus Dominus antequàm munus Evangelizandi pauperibus inchoaret, primò recepit Spiritum Sanctum in specie Columbæ, Discipulos quoq; suos post triennalem Institutionem non prius in universum ordinavit Mundum, quàm post receptionem Sancti Spiritûs; docuit nos, primo debere repleri Spiritu vocationis, tunc alijs utiliter prædicabimus, Hinc est quod tam multi concionatores è suggestibus clament, prædicent, modicus tamen Fructus in Populo appareat, quia dicunt & non faciunt, suadent sobrietatem, ipsi Ebrij; misericordiam, ipsi avari, devotionem, ipsi frigidi, mortificationem ipsi delicati. DEUS bone! antea duodecim viri totum Mundum ad Christum converterunt, nunc mille concionatores unum peccatorem è cæno alicujus vitij extrahere non valent, quia carent eo Spiritu, quo prædic tierant Apostoli. Ne & tu in vanum labores juxta monitum Sacti Pauli: sollicitè cura esse Spiritu fervens; replere Spiritu voca-

tionis tuæ, vive in Spiritu compunctionis ac pœnitentiæ, ferventer insiste pijs Exercitijs, omnia fac in Spiritu, non ad apparentiam, non superficialiter, profunde cordis Lacrymas si vis flere auditores, quodq; in alijs vituperabis, ab eo sis alienus, quod suadebis Ipse præhabeas, tunc cum DEI benedictione utiliter laborabis.

CONSIDERATIO VI.

De Modestia Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Cor: 4. *Spectaculum facti sumus Mundo & Angelis & hominibus*; si alicubi, certe in functionibus Apostolicis omnium oculi in nos convertuntur, ex illave exteriori Compositione bonos aut malos judicant, dumq; aliquem zelosum Concionatorem audiunt, dicunt esse Eliam; si devotum, Jeremiam; si macilentum, Joannem Baptistam; putantq; aliquos secundâ aut tertiâ die cum DEO colloqui, imò quem modestiorem deprehendunt, existimant Ipsum, quotidianos cum DEO & Angelis habere sermones. Quàm sublimes de te Licet fortè immeritò formantur

conceptus

conceptus; cave igitur ne eos aliquo immodestiæ actu confundas, quinimo ita compositè, devotè modestè te gerere stude; ut populus Ille te intuendo ad contritionem & devotionem excitetur, ut olim Gentiles visâ Christianorum modestiâ impellebantur ad fugam peccati, vidisti Christianum & compunctus es.

PUNCTUM SECUNDUM.

Modestia Vestra nota sit omnibus Hominibus. Philip: 4. v. 5. Tam enixè Doctor Gentium suis commendat modestiam, quia hæc cum sit externa, magis quam reliquæ virtutes occultæ, ædificat, Hinc satis fuit Seraphico Francisco ád Conversionem peccatorum modestè per plateas Civitatis cum socio incedere. Dominus quoq; JESUS numerosas illas turbas ad deserta quandoq; loca traxit, non sublimium conceptuum in dicendo varietate, non Tulliana Eloquentia, verùm illâ Angelicâ modestiâ virginei Corporis, ac membrorum admiranda compositione, quam intueri ad ædificationem aut ad Consolationem quibusvis afflictissimis satis fuit, undè dicebant eamus videamus Filium Mariæ. Huic & tu serio insiste, plus uno actu modestiæ ædificabis, quàm decem Concionibus.

PUNCTUM TERTIUM.

Colos: 3. *INduite vos ergò ſicut electi DEI Sancti, & dilecti, modeſtiam* Pone itaq; frenum oculis maximè in locis Publicis à divagatione, circumſpectione, eos cohibe, à Curioſa inſpectione (exemplô multorum SS.) Formarum muliebrium abſtrahe & immerge JESU Crucifixo, aut ſi nimium Pulchritudo Carnis delectat, Ecce in Sacramento ſpecioſus Formâ præ Filijs Hominũ, in Illo obtutum tuum fige: Inceſſum ſic forma, ut gravitatem ſine faſtu, modeſtiam ſine affectatione præſeferat. Catechiſando ſvaviter ſed ſeriò age, in Reſidentia à Familiaritatibus, Confabulationibus cum domeſticis abſtine, ne in verbo vel ingeſtu labaris, verùm ſollicite cura in omni Loco, eſſe bonus odor Chriſti, Præſentis DEI, Angeli Cuſtodis ubiq; memento, & quod gravi homine præſente non auderes, Illo vidente non audeas.

CONSIDERATIO VII

De *Simplicitate Operarij Evangelici.*

PUNCTUM PRIMUM.

COnſidera hanc Virtutem eſſe propriam operarij

operarij Evangelici, cum enim cum Rudibus ac Rusticanis agere debeat, simplicitate eum eminere oportet, Christus Dominus hanc virtutem unice adamavit, illudq; ad amussim implevit *est est, non, non,* Discipulos suos ad Missiones designans, illud eis salutare monitum dedit *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut Columbæ.* Virisq; à duplicitate alieni semper placuerunt Deo ut erat Iob vir simplex ac timens Deum, Jacob quoq; Patriarcha in simplicitate sua gratus fuit oculis Dei. Et Daniel propheta in sua simplicitate liberatus est, nam *cum simplicibus sermocinaito ejus. Et Spiritus Sanctus effugiet Fictum*: ad conversionem mundi non Politicos, non Philosophos, sed simplices elegit Piscatores, secretaq; sua cælestia non prudentibus, sed parvulis revelat, ac Regnum suum æternum nemini se daturum pollicetur, nisi qui efficiatur sicut parvulus. Deinde simplices assimilantur Deo, qui est simpliciſſimus, Duplices autem simulatores Diabolo, qui ab initio fuit Pater mendacij, quibus scriptura intonat *væ duplici Corde.*

Math: 6.

Prov: 3. Sapien: 1.

Eccle: 2.

PUNCTUM SECUNDUM.

RAra autem hæc virtus, columbina simplicitas

citás consistit 1. In nuda declaratione rerum prout sunt in corde, ne tibi objciatur: *Juda*
Lucæ 22. *osculo Filium Hominis tradis*, ne aliud dicas aliud sentias. Hinc ámphibologiæ, restrictiones, multò magis mendacia, Candorem hunc Animi denigrant, ac linguam pretioso Sanguine Christi in dies rubentem turpiter commaculant. Vide quomodo te hactenùs gessisti? 2. In rebus gerendis Sine Fuco & nimis exquisito artificio DEUM solum intuendo. Hinc Concionatoribus à nimia elegantia Sermonum abstinendum, ne se Ipsos, sed JESUM Christum & hunc Crucifixum prædicent, & quàmvis diligenter & exacte Sermonem Suum ordinare teneantur, tamen à nimia elaboratione, conceptuum varietate alioque oratorio ac scholari apparatu maximè in Concursu populi cavere debent, verùm in Spiritu Domini nostri JESU Christi qui per Simplices Similitudines Cælestia demonstravit cum Summo plausu turbarum, Conciones perficiant. Et certè quamdiu Concionator hoc simplicitatis Spiritu se geret, uberrimos fructus ex suis functionibus referet, prout hactenus conspicimus. Et quamvis Sapientibus & insipientibus debitores Simus,

nihil

nihilominùs à Spiritu Simplicitatis recedere non debemus; cum in comperto sit, Concio-nes Simplices Viris Eruditissimis & in Repu-blica primæ authoritatis non solum placere, sed, eos in admirationem abripi, ut cogantur dicere: *nunquàm locutus est Sic Homo* nunquàm tales Concionés audivimus. *Recedant ergo* *vetera de ore vestro, quia DEUS Scientiarum Do-minus est,* & *nolite loqui sublimia gloriantes*, monet scriptura. In Concionibus tuis cura non ad cachinnos sed ad lacrymas auditorem excitare, non curiosis mentem reflexionibus, ac ut ajunt moralizationibus pascere, sed Corda ad amo-rẽ DEI, detestationẽ peccati accendere. Tandẽ simplicitas consistit in facto, ne aliud proferas, aliud corã Deo sis; ne extra ovis ab intra lupus, in oculis hominum Sanctus, in corde impius.

Joan: 7. 1. Reg: 2.

PUNCTUM TERTIUM.

COnsidera media acquirendi hanc virtutem. 1. Propositum firmum concipere hanc ra-ram virtutem tàm in verbo quàm in facto practi-care. 2. In dicendo umbram mendacij horrere, nihil per duplicitatem fingere, sensum verbis non velare, exaggierationes fugere. 3. Since-rè sicut ad oculum ita in corde cum Proximo

agere

agere. 4. Cum Superioribus & Confessarijs in Spiritu simplicitatis maximè in manifestatione interiori sicut coram DEO procedere. 5. Conciones ad Maiorem DEI gloriam, non autem ad nostram, ordinare. 6. Nullius Confusionis metu à veritate declinare. Tandem in Simplicitate DEUM quærere, & cum proximo conversari, ista tamen Simplicitas non debet declinare ad Rusticitatem, sed simus cum prudentia Simplices & possidebimus bona.

CONSIDERATIO VIII.

De
Humilitate operarÿ Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 11. DIscite à me quia mitis Sŭ & humilis Corde inquit Salvator. Et Sanctus Augustinus addit: discite â tanto Magistro non mundum fabricare, non miracula patrare, non inter alios eminere, magni Oratores fieri, sed esse humiles corde. Humilitas enim Summoperè DEO placet, ut patet in B. V. Maria cuius humilitatem respexit, & in aliis Sanctis qui hac Virtute claruerunt, ut Sanctus Franciscus Assisius, qui locum

Luciferi

Luciferi Superbi ob ſuam humilitatem dicitur poſſidere. 2. Humilibus DEUS dat gratiam, ſuperbis reſiſtit. 3. Humilibus omnibus functionibus benedicit, ab arrogantibus ſe ſubtrahit; Humiles exaltat, ſuperbos deprimit. Humiles interna pace fruuntur, ſuperbi continuò tanquàm fluctus maris agitantur. Humilitas DEI Filio fuit neceſſaria, ut intraret in gloriam ſuam; multò magis filio peccatoris, ut intret in gloriam alienam; Humilis omnibus gratus, ſuperbus ſingulis abominabilis; Humilitas præcedit gloriam, Superbia confuſionem. Inſuper origo hominis, progreſſus vitæ, neceſſitates corporeæ, finis peccata, clamant ut humiliemur ſub Potenti manu DEI.

PUNCTUM SECUNDUM.

DIſcite à me quia mitis ſum & Humilis Corde. Hæc lectio quotidie diſcenda, nam quotidie humilitate indigemꝰ. Tentaris, Humilitas eſt neceſſaria; Contemneris, humilitas; non ſuccedit concio, humilitas; cũ plauſu ceſſit Functio, Humilitas, ne perdas Mercedẽ; Siniſtrè Homines loquũtur de tuis functionibꝰ, Humilitas; Calumniam pateris, relinqueris in angulo, quaſi ignotus, inhabilis, non habes plausũ in Concionibus, Math: 11.

non applicaris ad functiones sublimiores, semper et ubiq; disce humilitatem; gaude de tuo contemptu, ama propriam obiectionem; Virtus enim hæc consistit in Sui cognitione, quâ sibi Ipsi vilescit, atq; ab alijs reputari seu vilipendi parùm curat, hanc qui assecutus fuerit, omnia Ipsi bona pariter venient cũ ea, Ipsum quoq; Regnum Cælorum, quod pauperibus Spiritu promittitur.

PUNCTUM TERTIUM.

EXpende media quibus pertinges ad fastigium hujus virtutis. 1. Cognitio suæ vilitatis, quâ habita magnificè de te non loqueris. 2. Dignum se hominum vituperio cum omni Sinceritate reputare, hinc non appetes alta Officia, Functiones sublimes, ab Hominibus Magni fieri, ad Ostentationem aliquid agere ut pro docto vel diserto habearis, imò amabis nesciri. 3. Gaudere quod alij imperfectum nostrum videant, & nos inde contemnant, hinc non tristaberis cum tuæ Conciones, aliæq; actiones parvi pendentur, cum minùs ab alijs honoraberis, cum de alijs multa dicentur, de te tacebitur, alij cum respectu, tu humiliter tractaberis, alij ad sublimes, tu ad abiectas functiones

ctiones applicaberis. 4. Si DEUS per te aliquid operatus fuerit, occultare, Si autem id fieri non poterit, totum DEO attribuere. Hinc non garries de tuis laboribus, de felici Successu functionis, de Conversione peccatorum, sed totum DEO commendabis. 5. Maximũ medium acquirendæ humilitatis prædicta media ad Praxim reducere in omnibus occasionibus Contemptûs & humiliationis, respice JESUM Crucifixum, qui multò duriùs fuit tractatus, qui se humiliavit usq; ad Mortem Crucis, & fac secundum hoc Exemplar, adversa patienter ac humiliter sufferendo, in prosperis propriam vilitatem cogitando.

CONSIDERATIO IX.

De Mansvetudine ejusdem Operarij.

PUNCTUM PRIMUM.

B*Eati mites quoniam Ipsi possidebunt terram* id est corda hominum, quæ quandoq; videntur ut adamantes dura, intractabilia, at cum manSvetè cum Ipsis agitur, mitescunt, & ad quæcunq; Salutaria monita Suscipienda parata se se Offerunt. Expertus id est Moyses, qui in Matt: 5.

lenitate sua etiam monstra placavit, id est duræ Cervicis populum. Hæc virtus operario Evangelico maximè est necessaria, cui non semel excandescendi datur occasio, cum rudes Villani, quàmvis toties instructi, Mysteria Fidei ignorent, ad Confessionem imparate accedant, quid pro quo Confiteantur bilis profecto commovetur Operario Evangelico iam fatigato. Cæterùm si ex amore JESU Christi, qui inurbanos illos ac rudes Discipulos, turbasq; indiscretas toties patienter tulit; atq; Exemplo Evangelici Samaritani Vinum Instructionis cum oleo Mansvetudinis in vulnera Eorum Ignorantiæ infundat, non improperet, non arguat, impatienter non abijciat à Confessionali, quinimò cordialiter compatiatur, Consoletur, animet ne abiecto sint corde, devotionemq;, ac Confessionem, quæ Ipsi fortè erat unicè necessaria, negligat. Cogitet hic sibi à Domino Jesu dici, *discite à me quia mitis sum.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Matt: 5. COnsidera hanc virtutẽ esse, quàm Dominus JESUS amavit unicè & in quavis occasione maximè cum pauperibus turbis aut peccatoribus agendo exercuit; Ipsam quoq; nobis pro

lectione

lectione tradidit: *discite à me quia mitis sum*, tum ut inveniamus requiem, tranquillitatem, & pacem internam animabus nostris, quâ iracundi non fruuntur, ut hac virtute veluti dulci escâ lucremur DEI animas. In comperto enim est, Homines maximè simplices ab asperis declinare, affabilibus autem confidenter adhærere, hac mellea Svavitate Dominus JESUS multa millia hominum ad se traxit. Sanctus quoq; Salesius septuaginta duo millia Hæreticorum ad Fidem Catholicam non acribus disputationibus, sed dulci svavitate reduxisse dicitur. Et certè ad unam guttam mellis plures convolant muscæ, quàm ad integrum dolium aceti, ita unus Mansvetus plures lucrabitur animas, quàm multi Cholerici, qui asperô agendi modô timidos Rusticanos, à se deterrent, dantq; occasionem, ut non cum tanto candore, prout par est Ipsis, conscientiam detegant, imo quandoq; Gravia peccata præ timore occultent. Ach quantus Scrupulus? quanta Turbatio? quanta Confusio, Impatienti coram DEO! Si Ipsius tantum causâ Sacrilegium eveniat. Expende denicq; illud, quod tibi vis fieri, fac alteri, vis affabiliter, svaviter ab alijs tractari, tu idem fac cum Proximo tuo

Idem.

PUN.

PUNCTUM TERTIUM.

COnsidera hanc Virtutem à Domino JESU unicè dilectam, intimè commendatam, consistere in moderatione iræ; quam assequeris, dum in occasionibus datis, Svavissimum hunc Magistrum & Ejus agendi modum præ oculis habebis. 2. Non æstimare iniuriam, Eamq; ad pedes Crucifixi abiicere. 3. Compati Infirmitati alienæ maximè Pauperum Ruricolarum, dumq; tibi molestiam creat sua ruditate Idiota, cogita te alijs molestiorem esse, attamen te patiuntur. Considera denique Illum Pauperem à DEO oblatum esse ob tuum meritum, Cave ne illud asperitate perdas, indesinenter stude mortificationi, Iræ motus inordinatos compescendo, non loquaris voce elata, non te cum in dignatione hanc in alteramvè Partem vertas, à verbis asperis, increpationibus abstine. Et si contingat aliquem impatientiæ Igniculum evomere, illicò svavi colloquio defectum hunc emendare stude; semper quietum animum retinere cura, & si accidat commoveri, non loquaris donec pertranseat ferfor ille redieritq; Serenitas mentis. In Concione contra adversarium ne loquaris, ne Zelus

in

in furorem convertatur, à nimijs etiam invectivis, exprobrationibus, aculeatis verbis, contra peccatores, abſtine; ſermóq; tuus non Cholerâ amara, ſed oleô manſvetudinis ſit conditus Rationibusq; ſvavibus & fortibus perſvadenda veritas, non cornibus. Deniq; in omni loco, in omni occaſione, indue Svaviſſimum JESU Chriſti Spiritum, curaq; tanquam Rex apum carere aculeo.

CONSIDERATIO X.

De *Mortificatione Operarij Evangelici.*

PUNCTUM PRIMUM.

NIſi *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*: ait Veritas: quâ ſimilitudine clarè innotuit Operarium Evangelicum niſi moriatur mundo, carni, ſibi ipſi, nullum fructum in Cura animarum allaturum, imò tamquám delicatum militem in Caſtris Chriſti plus obſuturum quám profuturum. In áuditum quippe eſt Infantes qui lacte nutriuntur, delicate faſcijs involvuntur, ac tenerrimè educantur, opus aliquod inſigne perfeciſſe. Robuſtorum eſt id negotium, qui ſolido cibo veſcuntur, ſciunt portare pondus diei & æſtûs, nec illi delicatuli, qui nimiam curam cuticulæ gerunt, in omnibus ſuam ſatisfactionem ſollicite quæ- Joan: 12.

runt,

runt, nullius Commoditaris defectũ pati possunt, eximiũ quid pro gloria effecturos. Sanctus Gregorius supra illum
Psal: 23. Psalmum scribens: *Verbo Domini Cæli firmati sunt*, Apostolos Cælos nominat; de quibus Psalmus dicit: *Ex-*
Psal: 103. *tendens Cælum sicut pellem*, ad significandos viros Apostolicos, debere esse veluti pellem, quæ non nisi à carne avulsa, deservit pro tympanis ad excitandum in animis militum martialem fervorem, ad fortiter præliandum ac reportandam victoriam. Prædicatores nonne sunt tympana Spiritus Sancti: pœnitentiam resonantia, verùm ut ipsam persvadeant, ac cordibus ingerant, ad præliandumq́; cum mundo carne & vitijs excitent, à carne, pinguedine, delicijs, commoditatibus, planè sint alieni, nê Ipsis objciatur, dicunt & non faciunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

Considera omnes, quot quot Apostolicas functiones exercuere, egregiè hac virtute instructos fuisse. Pone tibi ob oculos Coryphæum à DEO missum Joannem, & ecce vili pelle indutus, Seminudus, locustis & melle Sylvestri pro Cibo contentus, in nuda humo inter bestias quiescens; & disce ab Ipso Similes defectus patienter tollerare. Claruit eodem Spiritu & Doctor Gentium, qui in iejunijs Multis, in Frigore ac nuditate, strenue circa Animas laboravit, imò omnium Virorum Apostolicorum hæc tessera fuit, mortificari tota die. Experientia quoq́; docet in Cura Animarum plures difficultates, Persecutiones, detractiones, Aculeos, defectum necessariorum, periculà & sexcenta incommodà occurrere, pro quibus superandis aliud remedium non est, præterquàm mortificationem; Domini JESU continuo in animo circumferre, Qui cum esset universorum Dominus, nihilominùs ad Exem-

plum

plum noſtrum eximiam Ideam mortificationis in ſe exhibuit, cum enim per Caſtella & pagos prædicando curſitaret, non habuit ubi Caput reclinaret, imò non ſemel poſt diuturnum laborem in nuda humo pernoctavit fatigatus, aquâ oblata à Samaritana fuit contentus, eleemoſynis non niſi piorum victitabat, cumq; diſcipulos ad miſſionem deſtinaret, ſine pera, calceis, Virga, eos expedivit. Tu autem delicatos cibos, generoſum potum, & per-omnia Satisfactionem quæres? Confundere coram DEO nec ſperes te ſaluti Animarum in poſterum profuturum, niſi mutes Propoſitum tuum. Fuit miſſus à DEO Moyſes ad Pharaonem, ipſum tamen non convertit etiamſi Signa & prodigia patraret, quia à delicijs, à lacte, à molli educatione, Filiæ Pharaonis fuit aſſumptus. Jonas verò Ninivitarum Regem, totamq; Civitatem ad Pœnitentiam, Lahrymas, Cilicia & Cinerem commovit, quia à ventre Ceti, ab afflictione ad Miſſionem prodijt. Elias ſolo ieiunio genuit Carmelo Eliſæum, & hic difficulter ſuſcitavit Filium viduæ, quia in Domo Eius habebat ſuas Commoditates, ſic concionatores delicati non multum efficiunt in converſione animarum, difficulteq; ſuſcitant peccatores Prophetæ illi qui ſua commoda ſectantur.

PUNCTUM TERTIUM.

COnſidera media in hac Virtute proficiendi 1. Exercitium mortificationis maximè Senſuum ad majora enim nati ſumus, quàm ut corporis noſtri evadamus mancipia, deinde niſi iſtæ feneſtræ per mortificationẽ claudantur, plurimis pulveribus peccatorum fædatur imago DEI quæ eſt anima tua. 2. Defectum neceſſariorum libenter tolerare, imo gaudere de oblata ſibi occaſione

imitandi Dominum JESUM, cui non ſemel ſimilia defuere, Satisfactionem Ventris more brutorum non quærère; hinc ſi Prandium tenue Offeratur, non murmurare, ſed illud Domino JESU eſurienti Offerre, ſi apponatur potus inſipidus non conqueri, ſed illum Domino JESU felle & aceto potato libare. Locus ubi ad quietem non ſatis commodus obtigit, cogita tunc Dominum IESUM in Stabulo inter beſtias reclinatum fuiſſe. Senſualitas ad hoc vel illud guſtandum, bibendum, impellit; cura ut ſub te ſit appetitus tuus, tuq; domineris illi, & dic tibi Ipſi: non moriar etiamſi hoc hauſtu cremati, guſtu hujus edulij, me privavero. 3. Recordari illius maximæ ſpiritualis; Momentaneum quod delectat, æternum quid Cruciat. 4. Cogita te ad ſtatum hunc Eccleſiaſticum in quo non niſi in oratione & iejunio aliquid boni effecturus es, prodijſſe, non ad convivia, aut delicias Tuſculanas. Ad extremum ſcandalum magnum præberes Populo, ſi te immortificatum, gulæ, alijſvè commoditatibus nimium deditum Conſpiceret, parvi faceret tuas conciones, nullum fructum reportaret ex his laboribus, qui in te videret aliud, audiret aliud: *Semper igitur mortificationem Domini IESU*
2. Cor:4. *in corpore noſtro circumferamus, ut & Vita IESU manifeſtetur in Carne noſtra mortali*, pluresq; lucremur animas, ac etiam pro peccatis noſtris Satisfaciamus omnes mortificationis occaſiones in hunc finem offerendo.

CONSIDERATIO XI.

De Mortificatione Visûs.

PUNCTUM PRIMUM.

A*Scendit mors per feneſtras noſtras*, ad in cautam

tam videlicet animam, quæ ianuam ſenſuum maximè viſus cuſtodire neglexit, deplorabat hanc iacturam ſed ſero Jeremias: *Depræda-* Thren: 3.
tus eſt oculus animam meam ſcilicet vitâ ſpirituali. Ah! quàm multis liberius iactus oculorum lethiferos in anima inflixit ictus, fuitq; occaſio gravis ruinæ, Conſule Davidem, Salomonem, Samſonem, Senes illos Judices, qui erga Suſannam exarſerunt & alios ſexcentos, ac ruinâ & damnô illorum eſto doctior. 2. Expende nihil eſſe in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu, unde tot tentationibus premeris, tot Imaginibus Fædis, repræſentatione turpium obiectorum fatigaris, in ipſa oratione imò ſub tempus SS. Sacrificij non rarò ut quondam Hieronymus in Thebaide moleſtaris impuris phantaſmatibus, ſi veritatem amás fateri debes, non ſatis te oculos cuſtodiſſe. Eſtò ergó in poſterum diligentior. 3. Conſidera illud veriſſimum proverbium, quod oculus non videt, cor non dolet. Ah quanta pace, quàm dulci quiete anima tua frueretur, ſi oculis tuis frenũ poſuiſſes; turbaris, affligeris, varijs paſſionibus agitaris, quia quid quid concupierunt oculi tui eis cũ Salomone nó negâſti, hinc afflictio ſpiritus.

PUNCTUM SECUNDUM.

Job 31. PEpigi *fedus cum oculis meis ne unquam cogitarem de Virgine*, quantus Sanctus diffidebat oculis, nec tu ipsis crede; arx fortissima diripitur, si Portæ non claudantur, excubiæ non ponantur; anima quoq; tua facilè expugnabitur, Gratiâ, amicitiâ DEI, aliisq; thesauris spiritualibus privabitur, nisi oculos, cum non opus fuerit claudas aut diligenter observes. Post obitum Hominis primò oculi corrumpuntur, ipsi quoq; sunt primi ad corruptionem spirituales, cælum igitur aspice, os tibi sublime datum est, cælumq; tuere. Quid pulchrius cælo? sordescet terra; dum cælum aspicies, in illud ut aquila oculos Fige. Repræsenta tibi oculos Domini JESU pugnis concussos, Sangvine oblitos, sputis inquinatos, velatos; & cogita id Eum fuisse pro tuorũ malo Usu oculorũ: noli in posterum renovare dolorem immortificato aspectu.

PUNCTUM TERTIUM.

Psal: 118. EXitus *aquarum deduxerunt oculi, mei quia non Custodierunt legem tuam.* En medium bene utendi oculis iugiter deflere peccata tua. 2.

Psal: 24. *Oculi mei semper ad Dominum*, frequenter eos ad

Cælum

Cælum eleva, pia ſuſpiria coniungendo, obſcænis non polluantur oculi tui, nullam proprij corporis partem aſpicito, ne manus quidem, ſine neceſſitate ab omnibus obiectis, quæcunq; Cogitationem inhoneſtam excitare poſſunt, oculos abſtrahe. Venerabilis Renatus Almeras etiam Imagines SS. minus decenter pictas noluit intueri. Facies puerorum teneras, multo magis mulierum fixis oculis nunquam intuere, Exemplo illius famuli DEI, qui multarum fæminarum excipiebat Confeſſiones, nunquàm tamen ſcivit iuvenesnè, an vetulæ eſſent; ne conqueraris, *vulnerâſti Cor meum in uno oculorum tuorum*; *Averte oculos ne videant vanitatem.* Scilicet aſpectum rerum Curioſarũ, Novarum, pulchrarum, cum non eſt videndi neceſſitas mortificare res eſt magni meriti. Sanctus Vincentius à Paulo viſitando Eccleſias non paſcebat oculos, ſplendore, apparatu Ipſarum, ſed eos ad Sanctiſſimum Sacramentum convertebat. Tandem oculos demiſſos tenere, eos in hanc alteramve partem non gyrare id Operarij functiones Apoſtolicas exercentis profeſſio, & proximi ædificatio exigit.

Cant: 4. Pſal: 118.

CONSIDERATIO XII.
De Mortificatione Auditûs.

PUNCTUM PRIMUM.

AUdire multa, loqui pauca, eſt Politicum principium; Audire autem quid loquatur in nobis DEUS noſter, eſt dogma ſpirituale, ipſumq; ſaluberrimum. DEUS Optime unum verbum quandoq; auditum ita memoriæ imprimitur, ut nullis poſtea occupationibus, devotionibus, aboleri poſſit; ſoleatq; eſſe cauſa multarum turbationum interiorum, Tentationum, diſcordiarum inutilium, quandoq; gravium peccatorum, hinc ſcriptura monet: *Sepi aures tuas ſpini*, ſicut enim poſt Spineas ſepes, res in tuto eſt, ita cum Vir Spiritualis Spinis mortificationis ſepit aures, à multis damnis & incommodis liberatur. 2. Conſidera aures noſtras eſſe adinſtar labij vaſis cujusdam, in quo pretioſiſſimus gratiæ ac Chariſmatum Divinorum aſſervatur liquor, verùm niſi labium tegatur, multæ incidunt muſcæ, ubi mortuæ, abominabilem faciunt pretioſiſſimum liquorẽ, ita ſi aures ad quæcunq; obvia fuerint apertæ,

Eccl: 28.

involabunt in animam plurimæ muſcæ tentationum, ineptiarum, notitiarum, facientq; fætere odorem tuum, & perdent ſvavitatem ungventi; videlicet Timoris DEI, amoris propriæ perfectionis. Et ob hanc fortè cauſam ingemuit Dominus JESUS reſtituens Surdo auditũ, dolendo quod peteret aures, per quas multa mala intrant in animam. 3. Conſidera mortificationem huius ſensûs eſſe gratiſſimam Divinæ Majeſtati uti teſtatur Pſalm: *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*; ac ſi diceret, non ita Domino DEO placere victimas boum, arietũ, aliarumq; oblationũ veteris legis, veluti Sacrificiũ, auriũ mortificationem. Pſal: 39.

PUNCTUM SECUNDUM.

COnſidera damna quæ eveniunt ex immortificatione aurium. 1. Diminutio fervoris, ſicut enim aqua, quantùmvis calidiſſima ventis expoſita frigeſcit, ita anima ad quascunq; Fabulationes arrectas habens aures in devotione tepeſcit. 2. Occaſio peccandi cum audiuntur detractiones, calumniæ, murmurationes, aut ſaltèm multi ſcrupuli generantur, eſſet ne illud Publicum, nec ne, num impedita fuerit detractio, an non aliquid addidiſti, Hinc monet

Sapi-

Eccl: 28. Sapiens: *Linguam nequam noli audire.* 3. Multarum tentationum, quandoq; gravium peccatorum est causa, uti contigit Primo Parenti audienti vocem mulieris. 4. Judiciorum temerariorum, suspicionum, quandoq; cum gravi Læsione conscientiæ. 5. Inutiliter audita pariunt distractiones in Oratione, Lectione, Sacrificijs. 6. Impediunt unionem cum DEO, cũ plus de auditis cogitamus, quam de DEO. 7. Excitant passiones amoris, odij, Iræ, Tristitiæ, inepti gaudij: Hinc merito de Rumoribus sæculi, bellis, discordijs Principum, scribere, multô magis sollicitum esse abstinendum est Operarijs Apostolicis.

PUNCTUM TERTIUM.

COnsidera media utendi hoc Sensu. 1. Linguam nequam non audire, quiminò libertate Sacerdotali obscæna aut pernicioſa proferentes arguere. 2. Non esse curiosum in audiendis novis, Rumoribus multò minus defectibus aliorum, cum auris non impleatur auditu. 3. Murmurantibus non dare aurem, quinimò Ipsos fugere, reprehendere. 4. Cum gustu audire Conciones, Conferentias spirituales, sub tempus illarum non dormire, non nauseare.

nauſeare. 5. Correctiones ac monita Superiorum gratô animô acceptare, non reſiſtere, non excuſare, non murmurare, non turbari, imo cum Pſalm, optare: *Corripiet me Juſtus in Mi-* Pſal:140.
ſericordia & increpabit me. 6. Adulationes, Laudes proprias fugere. 7. Dum dulcis melodia reſonat, aureſq; capiuntur, cor ad Cæleſtẽ muſicam elevare, cogitando: quàm ſvavior ibi eſſe debet, & ſi tam dulcis in ergaſtulo, quanto ſvavior in Palatio.

CONSIDERATIO XIII.
De Mortificatione Guſtûs.

PUNCTUM PRIMUM.

DE Cibis non eſſe diſputandum ajunt Medici, ſi cui certè perfectionem profitenti, quẽ Monachum non medicum eſſe convenit. Prima alphabeti ſpiritualis Litera, eſt mortificatio hujus ſenſûs; abſq; Ea nec jota quidem didicit in Palæſtra virtutis, ille qui in hac mortificationis ſpecie exercitatus non eſt; Cum enim tam craſſam & facile ſuperabilem propenſionem vincere nequit, quomodo alias graviores difficultates in via virtutis occurrentes ſuperabit.

Deindè quærere in Cibis satisfactionem, palatoq; suo arridentes dapes, muliebre, Epicuræũ, imò brutale est, Homo ad maiora natus est, quàm ut corporis sui evadat mancipium. Sanctus Vincentius Institutor Congregationis Missionis de Corpore Cleri sæcularis, ardentissimus Animarum Zelator, pulvere amaro condiebat fercula, ne ex Ipsis vel minimum caperet oblectamentum, cumq; per Errorem cruda ante Ipsum apponerentur ova, ea cum gustu manducavit, ac si optimè parata essent. Tu in simili quid diceres, Venerabilis Almeras Presbyter sæcularis plus vini ad Mensam non bibit, nisi quantum ad Missæ Sacrificium adhibetur. O! quâm egregij hujus mortificationis Sectatores, qui tàm paucis abiectisq; erant contenti, non lautas, non opiparas mensas, non delicatos Cibos, non exquisita quærebant fercula. Tu quomodo te gessisti, fortè non semel mensuram à Ratione præscriptam in Cibo & potu non servasti: Considera, 2. te in functionibus tuis agere Præconem Pœnitentiæ & mortificationis, verùm quomodò illam persvadebis, si Ipse fueris Ventri, gulæ deditus, quid dicent Rustici cum te Immortificatum, gulositati

deditum deprehendent, Scio hoc genus dæmoniorũ, peccatorũ obduratorũ, ad quorũ missus es conversionẽ non eijci, nisi in oratione & jejunio.

PUNCTUM SECUNDUN.

COnsidera damna quæ ex immortificatione huius sensûs proveniunt. 1. Hebetudo mentis, pinguis enim venter, sicut non studet, sic nec orat, nec laborat libenter. 2. Inepti-tudo ad Satisfaciendum muneri suo, obæsum enim ac Cibis oneratum corpus, quiescere, dormitare, delitescere, non utiliter laborare quærit. 3. Extenuatio virium, ac diminutio vitæ, *plures enim occidit gula, quàm gladius, qui autem abstinens est adijciet vitam,* ut patet in Paulo Eremita, Antonio, Hilarione, 4. Gulositas est fons immunditici, fax libidinis, sicut enim sine Cerere & Baccho friget Venus, sic abundantia & Saturitas libidinem provocant; adeò ut esse Castum & esse gulosum sint contradictoria. 5. Gulositas est dispositio ad graviora scelera ut patet in primo Parente, Populusq; Israeliticus cum in deserto se lacte refeciſſet, Surrexit ludere, tandem in Idololatriam lapsus est. 6. Est instrumentum Diaboli, quo nos, velut Primos Parentes de Paradiso inducit ad relin-

Eccl: 37.

quendum Paradisum Spiritualem, id est gratiã vocationis, sicut enim Vinum ita & Cura Cuticulæ immoderatè apostatare faciunt à DEO.

Lucæ 21. Hinc servator noster monet: *attendite vobis ne corda vestra graventur Crapula & Ebrietate*, cui plurimi indulgentes perierunt ad tartara detrusi.

PUNCTUM TERTIUM.

EXpende media ad reportandam de hoc sensu Victoriam. 1. Esse contentum illis quæ Communitati apponuntur, 2. nunquam loqui de Cibo & potu. 3. Extra domum, nec Domi extra tempus & locum consvetum manducare aut bibere. 4. Cum quid insipidum apponitur non conqueri, verum recordari fellis & aceti, Jeiunij Domini Christi, imò lætari de oblata occasione mortificationis. 5. In mensa ad quæ fercula sensus nimium propendet, ab ijs abstinere exemplô Davidis, qui desideratam aquam de Cisternis Bethleem effundens in terram libavit Domino. 6. Avidè Cibos non manducare, nec potu se opprimere, sale, quoq; butyro, aceto, pipere, & alijs aromatibus condire fercula virum cordatum non decet. 7. Non statim manducare aut bibere cùm apponitur, verùm paululum subsistere, mentem

elevando

elevando ad DEUM. 8. Occasiones ad gulositatem vitare, uti mensas Nobilium, Convivia Principum. 9. Per Hortum incedendo videns fructus gustum irritare, sed non tangere. 10. Accedendo ad Mensam cogita non satisfaciendum appetitui, sed DEI voluntatem ad implendi te accedere. 11. Cum corpus reficitur, mens quoq; aut auditione lectionis, vel piâ Cogitationẽ reficiatur. Tandẽ pro semper ad alimenta tanquàm ad medicamenta accedere.

CONSIDERATIO XIV.

De Custodia linguæ operario Evangelico necessaria.

PUNCTUM PRIMUM.

PONE Domine custodiam ori meo & Labijs meis ostium Circumstantiæ, ut non declinet Cor meum in verba malitiæ devotè orat Psalmista, nullo enim sensu tam facilẽ labitur, Sicut Linguâ, undè Sanctus Jacobus, *qui in lingua non offendit*, dicit: *hic perfectus est*, & quamvis lingua labijs & dentibus veluti duplici murô à natura est cincta, nihilominus velut fatuus de carcere erumpens, aut canis ex catena dimissus, sæpè illum mordet, illum pungit, hunc allatrat, istum adulatione lingit; Nec juvat quod cerebro, nervis juncta sit, ut videlicet secundûm dictamen rectæ Rationis loquatur, ipsa tamen toties contra rationem, conscientiam, imò ipsum DEUM plura effutit, rectè de se observavit asceta: Semper pœnituit me loqui, tacuisse nunquàm. Sicut igi-

Psal: 140.

Jacobi 3.

tur indomito equo frenum adhibetur, & linguæ frenum ponendum eſt, & velut ignis diligenter cuſtodiatur ne abſumat domum, & lingua quæ ignis eſt hunc & illum urens, perſtringens, diligenter cuſtodienda.

PUNCTUM SECUNDUM.

EXpende defectus linguæ 1. Jactantia ſuorum operum, talentorum, natalitiorum, cui obſiſtit Spiritus Sanctus, Prov: 27. *laudet te alienus & non Os tuum* 2. Curioſa inveſtigatio de alterius vita, moribus, & modo agendi, talibus Joan: 21. Chriſtus reſpondet, *Quid ad te tu me ſequere* 3. Diſſeminatio diſcordiarum, quid unus contra alium dixerit referendo, quibus ſcriptura intonat, *ſuſurro &* Eccl:28. *bilinguis maledictus* 4. Confabulationes in viſitationibus inutilibus, *in multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10. Sermo adulationis, alterius affectum captando; aſperitas in loquendo, à lingua procedunt verba contentioſa contravenientia, alijs illudentia contemnentia, Superioribus Reſiſtentia, contemptum redolentia, arrogantia, contumelioſa, mendacia detractoria, blaſphema, juratoria, turpia, univerſitas iniquitatis.

PUNCTUM TERTIUM.

HInc vir ſpiritualis omni Studio debet cuſtodire linguam ne qnando conqueratur: Hæc lingua peſſima me damnavit. 2. Mortificare ipſam non ſtatim garriendo, cum pruritus conſurgit ad loquendum, verûm primo examinare, quid, coram Quo de Quo dicendum, *quia* Mat: 12. *ex verbis tuis vel juſtificaberis vel condemnaberis* 3. Amare ſolitudinem, & ſi opus eſt loqui, bis ad limam ſemel ad linguam. 4. Oratione frequenti linguam occupare, Gen: 27. *loquar ad Dominũ cũ ſim pulvis & Cinis; loquere*

Domine

Domine quia audit servus tuus. 5. Considera linguam tuam toties esse respersam Sacratissimo Sanguine Christi, hinc non licet polluere ipsam prophanis malis, perversis colloquijs, 6. Meminisse detractionem esse peccatum mortale ex genere suo, contra Charitatem & justitiam, gravius furto, quia *melius est bonum nomen quàm Divitiæ multæ*, 7. Fuga conventiculorum in ijs enim cum liberiùs garrimus, vel de nobis loquendo evanescimus, aut aliorum mores non sine scrupulo carpimus, 8. Humilitati & charitati studere, quæ virtutes evincent de nobis, alta non sapere nec dicere, de proximo autem honorificè loqui, silentium diligenter servare, quia *Virlinguosus non diriget*. Cum autẽ nequeamus esse omninò silentiarij sed pluries cum varijs Personis nobis loquendum, fiat paucis & sermo sit sale conditus, prudens timoratus, ad æditicationem, devotus ut audientes colloquia nostra accendantur ad devotionem, fugam peccati, Amorem virtutis, contemptum terrenorum, ùti illorum Discipulorum euntium in Emaus, erat cor ardens cum Ipsis Dominus Jesus loqueretur in via.

1. Reg: 3.

Prov: 22.

Psal: 139.

CONSIDERATIO XV.

De Mortificatione Judicij proprij.

PUNCTUM PRIMUM.

Non innitaris prudentiæ tuæ inquit sapiens, si quis enim inniteretur baculo fracto caderet utique, ita nimirum adhærens proprio judicio proximus est ruinæ, Intellectus enim per peccatum originale læsus errori & ignoratiæ obnoxius, nisi veritatibus æternis, documentis Evangelicis,

Prov: 3.

gelicis, præceptis Obedientiæ, consilijs aliorum, fulciatur; facile corruit. Patet hæc veritas plusquam evidenter in tot hæreticis, qui ideo turpiter à fide defecerunt, quia noluerunt captivare intellectum, in obsequium fidei, subijcereque judicium proprium totius Ecclesiæ judicio. Sanctus Stephanus opinionis tenaces appellat duræ cervicis, & incircumcisi Cordis. Dominus quoq; JESUS immortificacionem proprij Judicij egregie Confundit in illo incredulo discipulo Thoma, scivit ille in ore duorum vel trium testium stare omne verbum; referunt 10. Apostoli se vidisse Christum post Resurrectionem, at ipse pertinaci-

Joan: 20. naciter respondit: *non credam, nisi videro.* Vidit sed cum magna confusione, quando à Domino jussus inferre digitum in locum clavorum, audivit illam pro sua majo-

Ibidem. re confusione sententiam: *Beati qui non viderunt, & credierunt.* Immortificatio quoq; proprij Judicij, est pestis fatalis obedientiæ, quando enim suo genio & ingenio vivens adimplebit obedientiam, quæ stringit ad subijciendum judicium proprium, arbitrio Superioris in omnibus, ubi peccatum non apparet; qui suum videre ut idolum adorat, qui se existimat melius de rebus judicare, quàm

Apoc: 3. álij, qui mandata Superiorm examinare, non nunquam vituperare audet, cum ipse sit *miser cæcus miserabilis*

Joan: 9. *& pauper & nudus. In peccatis totus natus,* & adhuc docet illos per quos DEUS loquitur. Obedientia talis immortificati, nunquã est vera, sed apparens, fucata, quandò enim exequitur mandata, si sunt contraria ipsius Opinioni, cum quanta amaritudine, murmuratione tristitia id facit; si vero hilariter, quia Superior mandavit placentia, quia ad gustum ipsius, quia etiam ipse judicat ita expedire. O idolum!

lum! incircumcisi Judicij vir! nec secum pacem habet, nec cum alijs, cum enim ipsius judicio non defertur, facile indignatur, contentiones excitat, soletq; esse turbator boni Ordinis, quia non exequitur ut est demandatum, sed utitur Epikieijs interpretationibus, ut suam inobedientiam contegat, suoque judicio satisfaciat.

II. Expende fontes de quibus profluit adhæsio proprio judicio *1mus.* est superbia, quæ cum sit initium omnis peccati præcipue pertinatiæ, superbus enim sicut se alijs ita & judicium proprium anteponit. *2dus* Nimia de se ipso existimatio, hinc talis putat se errori non esse obnoxium, alios verò decipi omnes, non ita benè considerare sicut ipse, Verbo omnes cæcos, se ipsum videntem judicat *3tio* Inprudentia, verius stultitia, non ne stultum est judicare, se immunem ab errore cum intellectui Nostro in natura lapsa sint innata error & ignorantia, hinc scriptura dicit: *Omnis homo mendax* id est errori obnoxius, at major stultitia est nimium fidere suo judicio, cum longe te sapientiores, doctiores, perspicatioris ingenij turpiter erraverint, ut Salomon, Lutherus, Calvinus; & alij. Denique amor proprius ex eo enim quod nos inordinate amamus fit ut opera nostra, adeoque & opiniones quamvis futiles; veluti simia, quæ partum suum quamvis turpissimum tenerè diligit. Psal: 115.

III. Medium ad vincendum tenacitatem proprij Judicij *1mus* est humilitas *noli altum sapere, sed time.* Lucifer suo jndicio adhæsit superbe & præcipitatus est ad inferna. Unde perfectionis studiosi, melior agendi modus non est, quam in simplicitate & humilitate exequi mandata, esto tibi aliter faciendum videretur. *2dus* Diffide- Rom: 11.

re proprio judicio, nam & tu homo es, nihil humani à te alienum putarent alij & si errare possis, imò quo magis adhæres tuo judicio crassissimè erras. Hinc exquirenda sunt consilia aliorum, maximè cum de aliquo proprio interesse agitur, nemo enim potest esse judex in propria causa, quia amor proprius & passiones excæcant & obscurant intellectum, ut judicet malum bonum. 3tio Acquiescere monitis aliorum, ut cum nos hujus vel illius admonent, vg quod simus nimis prolixi in contionibus & debemus
Joan: 6. nos emendare, ut in nobis verificetur, *& erunt docibiles DEI*, ideſt persvasibiles. 4to Oratio. Debemus petere Deum cum sapiente· *Da mihi cor docile* tum ut nos præ-
3. Reg:3. servet ab hoc deffectu, qui & alios plurimos parit, & est proprius dæmoni, qui est immobilis in suo judicio.

CONSIDERATIO XVI.

De Abnegatione Voluntatis propriæ.

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 16. *QUi vult venire post me abneget semetipsum.* Considera gratis se illum jactare Imitatorem Christi, qui in omnibus propriæ voluntati ceù idolo Sacrificat, Imitatorum enim Christi (qui venit in mundum non suam sed ejus à quo missus erat facere voluntatem,) hæc præcipua nota & character est, abnegatio propriæ voluntatis; quæ per peccatum debilitata, velut equus effre-

effrenatus propendet ad multa inconvenientia, quæ nisi abnegationè refrenetur, inducit immortificatum in præcipitium peccatorum, aliquando & damnationis; Ab ipsa enim sicut omne meritum, ita & ruina æterna dependet. Unde Sanctissimè monet D. Bernardus. *Cesset propria voluntas, & infernus non erit peccatis debitus.* at peccatum non potest esse nisi sit voluntarium inquit D. Augustinus. Hinc vigilandum est Ascetæ, ne ipsum propria voluntas in aliquod præcipitium uti potentia cæca inducat. Habeat ergo Ductores fideles, qui ipsi ducatum præstent ijsq; se subijciat. 2. Adhæsio propriæ voluntati, opera ex se alias bona & meritoria à DEO exosa facit. Hinc Conquærentibus Judæis quod iejunia eorum DEUS non acceptaret? Respondit *quia in iejunijs vestris* Isaiæ 58. *invenitur voluntas vestra*, Ach! quam non unius viri spiritualis opera quæ videbantur bona, verùm ex proprio Arbitratu, quando non satis Conformiter ad obedientiam suscepta, similem audient repulsam. Putat se non unus multa bona facere, secq; esse multum divitem in meritis, ah quando veniet evigilare somnum in illa mortis hora, illi *viri divitiarum forte nihil inve-* Psal: 75.

nient in manibus suis, tenax voluntas, quæ multos habebat Filios, quæve videbatur fæcunda multa agendo, sudando, &c. sed quia ex proprio genio infirmata est, invenietur sterilis,quid quid enim egit id non amore DEI, sed propriæ satisfactionis fecit, adeoq; post tantam capturam, capiet nihil. 3. Suo genio vivens est hostis obedientiæ, quæ satagit alienam non suam facere voluntatem. Item Abominabilis DEO & superioribus, turbator boni Ordinis, sibi ipsi gravis. DEUS non benedicit actionibus ejus ex propria voluntate assumptis, qui se enim abstrahit ab obedientia, subtrahit à gratia inquit Thomas à Kempis. Tandem mancipia voluntatis propriæ sæpè confunduntur in voluntate sua, tùm quia ipsis res plerumq; non succedunt, tùm quia se ingerunt in plura incommoda, à quibus immunes fuissent, si aliorum præcipuè superiorum dispositioni se Commisissent, hinc rubor & Confusio operit faciem eorum, nonne id toties expertus es?

II. Expende signa propriæ voluntatis. 1. Quando id cupimus quod nobis placet, non autem quod DEO & superioribus. 2. Proprietarius est, qui se frequenter excusat. 3. Cui

grave

grave est obedire. 4. Qui invenit tempus agendi, cursitandi, ex proprio pruritu, quando autem rogatur ab alio, incusat penuriam temporum. 5. Qui libenter se ijs Occupat, ad quæ propendet, non ita cum ab alijs imperantur. 6. Qui negligit imperata exequi, qui nimis promptus est ad dandas rationes, ut superioris dispositio effectum non sortiatur. 7. Qui turbatur & inquietatur cum ipsi aliquid negatur. 8. Apertum voluntatis propriæ mancipium, nimisq; barbarum utens illis terminis nolo, non faciam, non possum; forte libenter imples voluntatem DEI & superiorum in honorificis, ita ne etiam in abjectioribus non ita plausilibus, examima.

III. Considera media abnegandæ voluntatis propriæ. 1. Inspicere Christum Dominũ, qui in vita & morte voluntatem DEI Patris implere studuit dicens: *non mea sed tua voluntas* Lucæ 22. *fiat* 2. Cave ne te implices alicui creaturæ, loco, mansioni, Officio, ut expeditiorem voluntatem ad DEI & superiorum nutum geras. 3. Quære in omnibus quæ agis, non tuum, sed DEI gustum, illaq; assume, non quia tibi placent, sed quia DEUS vult. 4. Stude esse

obedientissimus, & sci sepelies voluntatem propriam. 5. Exercitio abnegationis insiste, abstinendo ab illis, ad quæ propensionem habes, illa verò libenter exequendo, in quibus sentis renitentiam. 6. Jugiter DEUM orare, ut ipsius Sanctissima voluntas rite in te fiat, sicut nos ipse docuit in sua Oratione, dic sincerè in omnibus prosperis, vel minùs faventibus fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in terra; Post. quam autem perveneris ad hanc expoliationẽ, tunc incipies Christi Discipulus esse.

CONSIDERATIO XVII.

De Zelo Animarum.

PUNCTUM PRIMUM.

Recupera proximũ secundũ virtutem suã. Eze: 29. Considera omnes habitus, potentias, artes, eo nobiliores esse, qnò præstantius est Obiectũ, circa quod operantur. Hinc nobiliores sunt virtutes Theologicæ moralibus, natn illæ circa honestatem moralem creatam, illæ verò circa ipsum DEUM, qui est Ens Increatum versantur; at inter studia, occupationes viri spiritualis quid dignius invenitur Zelo Animarum, per

hunc

hunc enim exercetur magna charitatis virtus, quâ DEUS diligitur propter ſe, & proximus propter DEUM, quid enim eſt Zelare ſalutem Animarum, niſi velle ut DEUS glorificetur, ſeduloq; Conquirere tales, qui illum æternum glorificent. Deinde Zelus Animarum, Opus DEI ipſius proprium eſt, qui *omnes homines vult ſalvos fieri*, continuo largiendo auxilia gratiæ internæ, ut excitantis, adjuvantis &c; Tum externæ: prædicatores, Paſtores &c. ſuſcitando. Imo in aſſumpta humanitate aliud agere non videbatur, quam deſudare circa ſalutem animarum. Hinc fit, ut nihil dignius & excellentius agi valeat, quam tabeſcere Zelo Animarum, illarumq; ſalutem ſedulo procurare, cum hæc occupatio ſit proxima participatio modi agendi DEI Incarnati, qui venit in mundum agere, quærere, & ſalvum facere quod perierat.

PUNCTUM SECUNDUM.

COnſidera te rem magni meriti Coram DEO agere, quærendo ſalutem Animarum; ſi enim unus Calix aquæ frigidæ oblatus ſitienti, non eſt ſine mercede Copioſa apud DEUM, & eleemoſyna, cibus oblatus eſurienti ſit actus

inſignis

insignis misericordiæ; quam longè majoris meriti & pretij apud DEUM Optimum eleemosina illa spiritualis, Cura videlicet tua de Animabus, labor indefessus, instructio populi, quæ non ad Corporalem & temporaneam refectionem carnis, quæ nihil prodest, sed ad æternam Animæ salutem prosunt; & si magnum charitatis opus sit & miraculis Comprobatum, Captivos de servitute barbarorum redimere, ah quam maius longè eruere peccatores de vinculis peccati, de Captivitate inferni & servitute dæmonum. Tandem & tu homo es multis defectibus in peccatis obnoxius, à culpa forte absolutus, an â pæna nescitur, ecce medium optimum satisfaciendi pro peccatis Zelus Animarum, hoc usus glorioſus ille pænitens S. David, qui intra cætera satisfactoria opera illud tanquam præcipuum amplexus: *Docebo iniquos vias tuas & impij ad te convertentur.* Si insuper mercedem laborum tuorum requiris, *DEUS erit merces tua magna nimis.*

Pſal: 50.

Gene: 15.

PUNCTUM TERTIUM.

EXpende media ad acquirendum Zelum hunc. 1. Amor DEI, hic in te efficiet ut & ipse summè ames, & alios ad Amorem summi

ſummi boni provoces. 2. Memoria vocationis tuæ, non enim ſcethim aut Thebaidem inter Eremicolas ſuæ perfectioni tantum modò ſtudentes vocatus es, verùm ad ſtatum virorũ Apoſtolicorũ, quorũ vocatio eſt agere & multa pati pro ſalute animarum. 3. Libenter excurrere quantum obedientia permittet ad miſſiones, ibi Campus exercendi Zeli, modo ſincere Zelare velis. 4. Amovere impedimenta Zelo huic Sancto inimica, uti ſunt fuga laboris, amor nimius ſanitatis, Cura Cuticulæ, exquiſitio Commoditatum, nam cura Animarum exerceri rectè non valet, niſi in jejunijs multis, in frigore & nuditate tandem ſcito hoc in finè te à DEO poſitum eſſe in Eccleſia, ut eas fructum afferas, & fructus tuus maneat.

CONSIDERATIO XVIII.

De Exemplaritate Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

EXemplũ *dedi vobis ut quem admodũ ego feci, ita & vos faciatis*, inquit ſalvator, plus movent exempla, quam verba. Ineficax ille zelus, quem ſanctitas vitæ non comitatur. Multa quidem bona operatur vir Apoſtolicæ Profeſſionis ſtrenûe Catechizando, zelozê con- Joan: 13.

cionan-

cionando, laboriosè Confessionibus insistendo, verùm plus bono exemplo prælucendo, longum enim (ut ajunt) iter pet præcepta, brevè per exempla. Hinc Salvator ad sui imitationem non tam persvasionibus, quam exemplis urgebat, baptisatus est, jejunavit, Apostolorum pedes lavit, extremam paupertatem amplexus, obediens usq; ad mortem, passus, nobis relinquens exemplum, ut cum doctrina sana, bono exemplo præluceamus. Nihil enim Prædicator efficit verbis, nisi idipsum comprobet bonis exemplis. Pharisaicum est dicere, & non facere. Dulcissimi JESU maxima facit primo facere, postea dicere. Unica modesta Compositio operarij recollecti, magis ædificat quam decem Contiones ignem spirantes laxioris. Examina hic tuam modestiam, Verba mores, facta, an ad ædificationem vel destructionem valebant, an minores qui à majoribus discunt, non sint scandalizali, & re-

Math: 5. cordare moniti Salvatoris, *qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Ibidem. *VOs estis lux mundi*, lucis illuminare, est Apostolicorũ virorũ à tenebris peccatorũ ad lucẽ gratiæ adducere, verũ quomodo id assequentur sublimiter concionando? egregie instruendo? indelessos se operarios exhibendo? nequaquam: verum sanctis exemplis, cum doctrina sana placendo, verum est libenter virorum Apostolicorum famelicam plebem conciones audire, tanquam muscas ad mel convolare, sed hoc etiam in confesso est, eos curiosê inquirere an facta operariorum cum institutione concordent. Scrutantur quomodo se in diversorio gerant, quæ devotiones ipsorum, qualis conversatio, mores quam compositi,

siti, quæ austeritas vitæ; & cũ igitur audiunt de sanctitate, austeritate vitæ; tunc primum compunguntur ad meliorẽ frugem se recipiunt, de conversione serio cogitant. Memento ergo ut sis lux illuminans, non caligo obfuscans fructum missionis.

PUNCTUM TERTIUM.

Sic luceat lux vestra Coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ qui in Cælis est. Hæc exemplaritas in Occulto fieri non potest, sed in aperto, illam tamen sic exhibeas, ut exinde major Dei gloria promoveatur, proximus ædificetur, absit in tàm Sancto opere allaborare hypocrisi inanisve de te opinionis quærere umbram, magna injustitia est facere justitiam ut videaris ab hominibus, non ut DEUS glorificetur, usurpas enim tibi quod DEI est, ergo & gloria ipsi debetur, tibi autem confusio. Hinc si ex publico opere gloriam propriam quæris, fur es, surripis enim DEO, quod ipsi soli debetur. Examina hic districtê intentiones tuas quo tendunt, & statue in posterum: *Ego autem ad Dominum aspiciam Mich 7.* Ibidem.

CONSIDERATIO XIX.

De Qualitate Viri Apostolici.

PUNCTUM PRIMUM.

Vos estis sal terræ, Matt: 5. Dominus JESUS ostendit, qualis debeat esse operarius ex natura salis, ipsius qualitates describens. Plinius illum dicit esse purgatorem â fæcibus. Debet ergo vir Apostolicus quo ad se, in

BIBLIOTHECA CONGR. MISS. CRACOVIAE Domus Stradomiensis

via purgativa esse perfectus, purgatus à fæcibus peccatorum, ab affectibus inordinatis, à cogitationibus sine intellectu, Cordis munditiem intimè diligere, odium maximum adversus peccatum concipere, potiùs mori eligere, quam Deum Lethali peccato offendere, novissimorum habere jugem memoriam, Compunctus ambulare, nisi enim in hac via ipse perfectus sit, quomodo alios per ipsam ducet, si ipse ad peccata pronus, quomodo alios à peccatis avocabit.

PUNCTUM SECUNDUM.

VOs estis sal terræ, sal est mordens, adurens, extenuans, exsiccans; hinc instruitur vir Apostolicus, qualis necesse sit in via illuminativa, scilicet optimè versatus in praxi virtutum, non enim satis est purgatum esse à peccatis, debet insuper exornari virtutibus, ut alijs eas Communicare valeat. Hic exprimitur mortificatio, devotio, obedientia, humilitas, zelus, puritas, austeritas vitæ &c. habes ne tu aliquam virtutem in gradu perfecto, ah forte vir adhuc pauper es? utinam videas paupertatem tuam, & addicas te studio virtutum, ut alijs prodesse possis.

PUNCTUM TERTIUM.

VOs estis sal terræ, sal est conservans, hic via unitiva Apostolici Viri insinuatur, ut scilicet conservet se in Præsentia DEI sit ipsi optimè conjunctus, DEO soli immersus, tenerrime ad eum affectus, per pios affectus ipsi strictè adhærens, tunc & ipse servabitur à putredine, & alios conservabit, ad amorem DEI accendet, ad contemptum terrenorum inducet. Vide ergo an te ita ad Deum habeas? an illi soli nihil tibi aut creaturis adhæreas, an in illum omnia referas? an illum solum in omnibus quæ-

ras?

ras? ah quomodo ad DEUM & Divina figidus fuisti? quomodo dissipatus? ideo nec alios accendisti, exardescere amore DEI, illi unicè adhærere, & alijs abundè sasatisfacies, ac *de fructu operũ tuorum satiabitur terra.* Psal:130.

CONSIDERATIO XX.

De Tollerantia Persecutionis.

PUNCTUM PRIMUM.

Ecce ego vos mitto in medio luporum Matt: 10. Quod ovi inter lupos, hoc operarijs Evangelicis sæpè venit inter homines mundanos, non unum multoties sentiunt lupinum dentẽ, non unũ invidiæ recipiunt ictũ, quot Contumelias, detractiones, convitia etiam ab illis, quibus gloria Dei promovenda cordi esse deberet, pati coguntur; hinc magno Animo ad missionem prodeundum est. *Tradent quidem vos in concilijs suis* contemnendo, Mat: 10. seductores appellando, carpendo, flagellabunt linguâ iniquâ, eritis odio omnibus amatoribus sæculi, propter Christum, quia veritas odium pariet, sed nolite eos timere. Ecce ego mitto vos inquit Dominus, ego qui similia passus sum, ego qui invictam Coronabo patientiam.

PUNCTUM SECUNDUM.

Non est discipulus supra Magistrum, ajt Sanctissimus Magister. Quomodo tractabatur, præstabat bona referebat, docuit viam virtutis, & ecce pro publicanorum & peccatorum Collega habebatur, dæmones ejiciebat, pro dæmoniaco reputabatur. Tu similiter cum optimè feceris, alia à mundo non expecta; his tamen à proposita via minimè deterrearis, esto generosi pectoris, DEUS adjutor tuus, ipsius causam geris, ejus legatione Math: 10.

fungeris, quo vè plures adversarios sustinueris, eo felicius evadet ministerium tuum, purius & expeditius à vana gloria & Complacentia, longè plura coacervabis merita, quam si omnia ad tuum gustum cederent.

PUNCTUM TERTIUM.

NOn *est servus super Dominum suum* hoc est quod in omni persecutione consolari te potest, exemplum Domini JESU, quas non ille licet innocentissimus optimus, benignissimus, virtuosissimus, passus persecutiones & convitia contumelias, blasphemias. Tu ne ipsô melior eris ? Respice in ipsum identidem ubi adversitas aliqua toleranda occurrerit, Dominus meus JESUS pro benefactis contumelijs afficitur, ego servus ab omnibus Laudari cupiam. ah non decet servum Domino delicatiorem esse

CONSIDERATIO XXI.

De Dilectione Inimicorum.

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 5. *DIligite inimicos vestros*; durus hic quidẽ sermo mundanis, at perfectionis studiosis jucundus & svavis. Quid enim dulcius & optabilius homines habent ? quam de potentissimo Tyranno reportare victoriam ; at te ipso & amore proprio non est potentior tyrannus, ipse te subjugavit; & in tantam servitutem redegit

degit, ut continuo honoris proprij, inanis æſtimationis, vanæ gloriæ, cogaris quærere umbram, ita te delicatum effecit, & compedibus ſuis cinxit, ut nullum verbum læſivum deglutire, minimum contemptum ferre, prætenſam quandôq; injuriam pati queas! o turpis ſervitus! vis illam excutere dilige inimicum, in Corde ſaltem gratias age, quod tibi veritatem dicendo Oculos aperuerit, aut ſi falſa impoſuerit, ſalubriter te monuit, ne in illa labaris. Proinde non indigneris injurianti, quinimo ad plenam de te ipſo reportandam victoriam, alloquere eum ſvaviter, ac ſi te non offendiſſet, evades Chriſtianus hæros.

Conſidera 2. tũc quodã modo aſſimilari DEO diligendo inimicos, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, non ne & tu id ipſum experiris, toties Dominum DEUM tuum offendis, nihilominus te patitur, conſervat, dimittit peccata, ergo & tu idem fac cum adverſario tuo: Cogita inſuper Hos hæroicos actus remiſſionis intuitu eſſe pergratos JESU Chriſto, qui Crucifixoribus ſuis dimiſit, pro illisq; oravit. Oſtendit id in Sancto Gvalberto, qnando è Cruce pendens Caput ipſi inclinavit,

gratias

gratias agendo, quod fratricidæ pepercerit. Expende item inimicum tuũ esse creaturam DEI, ad eundem tecum finem creatam, eodẽ pretio Sangvinis tecum redemptam, fratrem tuum, socium tuum in æterna beatitudine, ergo illum odisse non licet, tum quia tibi utilis est, injurijs enim, quas tibi infert modo illas patienter feras, & ex Corde dimittas hic merita, illic gloriam coacervat, tum quia odium illud, ad nihil valet, quod tibi & in Corpore, & in anima noceat, imo plus tibi odium quod intra te est nocet, quam injuria ab illo illata, quod est extra te, quapropter noli esse in talibus delicatus injurijs, non apprehendas injuriam; noli & tu ex musça levi creare elephantem.

PUNCTUM SECUNDUM.

Math: 5. *Benefacite his qui oderunt vos, Orate pro calumniantibus & persequentibus vos.* Non satis est Corde diligere inimicum, dicendo: non irascor, nihil ipsi mali precor; verùm hanc dilectionem actu externo Comprobare Sanctissimo Magister mandat; & hic est Lidius lapis Christianæ perfectionis, hæc proba utrum ex Corde diligas, quid ergo tu facis, & quæ te injuria affecit, calumniatus est, aut aliquando offendit, allo-

queris

quæris ne illum blandè? nonne ſubterfugis, ejus Converſationem? nonne excandeſcis cum illú vides? non ne dicis, non odi illum, familiaris tamen illi non ero, & ita addictus, quia toties me offendit? loqueris ne de illo honorificè? non ne perſtringis ipſius geſta, aut ſaltem cum poſſes Laudare taces? benefacisne illi data occaſione? Oras ne pro illo exẽplo Chriſti? ah quã fortè procul abes! ab hac doctrina Chriſti.

PUNCTUM TERTIUM.

SI non remiſeritis unus quiſq; Fratri de Cordibus Math:18.
veſtris, nec Pater Cæleſtis dimittet vobis. Peccator es, multa debita Contraxiſti, vis illa tibi dimitti; dimitte. Judicium tui ipſius poſuit in manibus tuis DEUS, ſi non remittis, te ipſum Condemnas, non ſatis tamen externè dilectionẽ ſimulare, ſed ex Corde remittere teneris, ac ſi nunquam offenſus ſuiſſes; hinc poſt injùriam illatam efficacius illam vindicare non potes, quam deponendo ipſam ad pedes Crucifixi, Orandoq; pro Adverſario, ut DEUS illi dimittat, quia neſcivit quid fecit te offendendo, te autem adjuvet, ut hunc heroicum actum ſtrenue exercere valeas. Conſtantinus Magnus,

cui relatum de vulnerata ejus imagine; tangendo faciem ſuam, lepidè reſpondit: ſe nullam pati in facie cicatricem. Cave ne indirectè quidquam contra perſecutores etiam in Contione differas. DEO totum commenda, ipſi vindicta, ipſe retribuet. Cogita quod & tu alios offendas, tamen tibi culpas indulgent, & tu fac cum alijs ſimiliter. Dimitte ergo generosè tã coram DEO, quã coram hominibus, & quantum eſt ex te, nolis ut DEUS rationem exigat pro injuria illata ab Adverſario tuo, remittaſq; illi obligationem reſtituendi famam, ſi quo modo illam Læſerit.

CONSIDERATIO XXII.

De Regularitate Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 5. *AMen dico vobis unum jota, aut unus apex non præteribit à Lege donec omnia fiant.* Sanctiſſima anima Chriſti fuit ſedes omnium virtutũ, in ipſo enim requievit ſpiritus Sapientiæ &c: In hoc tamen puncto ſe prodigium Sanctitatis exhibuit ad minimum apicem, etiam illa quæ videbantur minoris momenti ſingula de ſe ſcri-

pta

pta & altissimè observando, Cælum & terram transitura asseruit, potius quam ipse minimum apicem, etiam non impleret Legis. Es ne tu ad leges Domini & tuæ vocationis, nec non præsentis operis ita affectus? ah quam illas fastuosè transgrederis! quomodo illas contemnis! tuo solo genio & arbytrio vivis! agis quod libet, non quod licet, & miraris cur non succedat opus cum tanto Labore inchoatum, cur non habeat Ordinariã benedictionẽ Divinã, quia illã tua irregularitate repellis, aut saltem præcludis.

PUNCTUM SECUNDUM.

QUi ergo solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cælorum; id est pro uno socorde negligente, in sua vocatione reputabitur, sed unde venit ille neglectus regularum, ex infelici illo principio, quod fons multorum malorum etiam Apostasiæ à vocatione solet esse, parva est res quæ mandatur, modicum est non desistere à Confessionibus, cum signum datur; modicum est non emendare se à prolixilate Concionum, modicum est cum aliis non descendere in domum, sed immorari Colloquijs inutilibus, modicum subtrahere se ab Ecclesia inscio Directore, verum hoc mo- Math: 5.

dicum neglectum, multis plurium malorum fuit occasio, nonne qui spernit modica paulatim decidet, ex atomis montes consurgunt & stillicidia insensabilia devastant pallatia, conare omnimodè ut unus apex à te non prætereat. Rem maximam facis si minima etiam curas, an nescis totum virtutis artificiú in minimis consistere, facilè magna Conduntur, at in minimis ars artificis monstratur, & tua perfectio maximè in minimis observandis elucebit.

PUNCTUM TERTIUM.

Qui vero eas servaverit, pax & benedictio super eum, Promittebat suis S. Franciscus; idem te manet præmium, si fueris exquisitus in minimis etiam servandis. Pacem habebis cum DEO, à quo tanquam fonte omnium bonorum emanarunt Regulæ tuæ, pacem tecum ipso, Conscientia enim tua fidelitatem tuam cum gaudio approbabit, secus negligentiam cum magno remorsu, præcipuè in hora mortis reprobaret; pacem cum fratribus, quos servando regulas lætificus, transgrediendo contristas, Conturbas, quandoq; morosè affligis, & benedictionem impedis, 1. in spiritualibus, sicut enim nos DEUM colimus, ita nos visitat. 2.

in tem

in temporalibus, in ſcientia, vigore, valetudine, quam forte non modicum labefactaſti, quia non ſatis in obſervantia parvitatis vigilans fuiſti, ſtatue Ergo modo: non veni ſolvere legem ſed adimplere.

CONSIDERATIO XXIII.

De Oratione Operarij Evangeici.

PUNCTUM PRIMUM.

SIne intermiſſione orate. Omni quidem Chriſtiano homini uſus quotidianæ Orationis familiaris eſſe debet, tum ut ſe muniat contra tentationes, tum ad impetranda à DEO auxilia ad rectè vivendum, ad vitanda peccata, tum ad obtinenda alia dona, & bona naturaria, pro quibus DEUS optimus vult rogari: *Petite & accipietis.* Tum ut erga ipſum ſupremum Dominum, & à quo bona cuncta procedunt, debita exhibeatur ſubmiſſio. Operario tamen Evangelico uſus ipſius & quidem ſerius, eſt neceſſarius, ipſe enim debet accendere Corda hominum, ſed id non præſtabit, ſi in meditatione ejus non exardeſcit ignis: debet illuminare, aſt unde lumen hauriet; ſi ad Patrem luminũ 1. Theſs. 5.

per Orationem non Confugiet, ſi meditationi aut negligenter aut totaliter non inſtabit; debet in alios effundere Zelum Salutis, aſt unde fervorem concipiet, ſi in Oratione frigidus fuerit; debet ad compunctionem excitare, ergo ipſe primò in Oratione compungatur. Ideo Moyſes ille 8anctiſſimus non prius agebat cũ Iſràélitis, niſi prius ad DEUM recurriſſet. Et Dominus noſter JESUS Chriſtus cum turbis illis prædicaret, Pagos & Caſtella circumiret frequenter ſecedebat ad montes, ad loca deſerta, in ijsq; pernoctabat in Oratione DEI, ut doceret viros Apoſtolicos quando laborant circa Salutem Animarum, ipſos unicè indigere Oratione, nec reputes illam meditationem te impedituram ad benèdicendam Concionem, quinimo in ipſa diſces quomodo fructuosè, quo Spiritu ſit peragenda, in ipſa veniet Conceptus ille, quem naturalis facundia, cum eam componeres, non ſuggeſſiſſet. Hinc quidam Pius Concionator cum dicturus eſſet Concionem priùs ſe ad prolixiorem conferebat Orationem, in qua Ipſemet ardore devotionis æſtuans, mirô modô inflammabat Auditores.

PUNCTUM SECUNDUM.

ORate ut non intretis in tentationem. Alterum motivum neceſſitans operarium ad Amorem Orationis, eſt timor alicujus ruinæ gravis, verſatur enim inter tot pericula gravia, tot occaſiones arduas, & quod notandum eſt, alijs attendendo & vigilando minùs ſibi prodeſt. Hinc neceſſe eſt, ut ſe benè muniat Oratione, ne ſuccumbat; Hoc conſuluit Dominus JESUS Diſcipulis in horto, at ipſi dormitantes Eum neglexerunt, ideo turpiter à Domino defecerũt, an neſcis Vitam Hominis tentationem eſſe, aſt ubi campus amplior ad tentationes, quàm cum proximo agendo, ubi converſandum eſt, cum varijs Hominibus etiam diverſi ſexûs, audies multa quæ in vita non audiviſti, nec de illis cogitâſti recurret in memoriam, ſollicitabunt audita ſenſualitatem, non dum etenim ab Angelis præcinctus es Cingulo puritatis, veluti D. Thomas Aquinas, nec ita inſenſibilis es, ut non movearis turpibus phantaſijs, ideo ut non Cómovearis nec virtus in hoc Campo occumbat Continuò arma tua gere, quæ ſunt Orationes & Lachrymæ, neq; de te Ipſo præſumas, aut tibi Ipſi confidas, Sanctiores, Doctiores, perfectiores te, Math:26.

te, qui zelo ardentiſſimo paulo non impares videbantur, turpiter prolapſi ſunt, quia Studiũ Orationis, aut neglexerunt, aut ſaltem parum curarunt, Eſto ergo vi Orationis Continuò cum DEO Conjunctus, ſine quo ſicut nihil boni agere ita ſine gratia ejus tentationes tam multas & difficiles ſuperare nequis, recordare illius Prophetæ moniti. *Niſi Deus adjuviſſet me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.*

Pſal: 93.

PUNCTUM TERTIUM.

SPiritus quidem promptus eſt, Caro autem infirma. Verùm quidem eſt Carnem noſtram æneã, quæ diurnis Laboribus attrita ipſam etiam aggravat animam, ut non ſit ita expedita ad faciendas Orationes cum tanto guſtu & ſvavitate, quantam experiri ſolent viri Orationis ab occupationibus Laborioſis expediti. Cæterùm cum ad mentalem Orationem non ita requiruntur vires Corporis, potes modo velis, mentem in DEUM elevare: opus etiam ſibi ipſi paruvm vim facere, & ſi non habes guſtum in Oratione ab illa te non abſtrahe, non neceſſarijs è loco meditationis ſubtractionibus, verùm illam aviditatem DEO offeras, confitere te ſine DEO nihil poſſe, poſtula ab ipſo donum Orationis,

& hoc ipsum erit optimum subjectum meditationis. Cura etiam in qualibet meditatione supra defectus diei præteritæ, de ipsis corã DEO humiliare se, & contra illos se munire firmo proposito, nullam actionem graviorem, uti Concionem, auditionem Confessionem incipias, quam aliquam præmittas Orationem. In difficultatibus occurrentibus ad DEUM qui est Pater Luminum recurre, Jaculatorias Orationes habeas familiares, quibus identidẽ ad DEUM Cor eleves, ordinarias devotiones, uti Missas, Officia Divina, quãtũ fragilitas humana sinet fructuosè peragere cura, sic sine intermissione orabis.

CONSIDERATIO XXIV.

De Charitate Fraterna.

PUNCTUM PRIMUM.

CÆlestis Magister multa quidem discipulis suis in missionibus observanda Commendavit, verùm ad charitatem fraternam stricto præcepto obligavit: *hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Imô notam suorum genuinorum discipulorum aliam non instituit, quam charitatem fraternam I*n hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ex hoc signo & tu colliges, è Cujus palestra sis, si enim charitatem habeas, quæ patiens est, benigna est, quæ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur

Joan: 15.

Joan: 13.

adversus alium, non est ambitiosa, non irritatur de Verbo aut facto, non Cogitat malum, profecto es discipulus tanti Magistri, verùm si facile alios offendis, si alijs Compati nescias, respectum debitum deneges, si discordias seminas, Contentiones ex indigna quandocunq; occasione excitas, si te arroganter êdversùs fratrem habes, fastuosè insurgis, antipatijs, sympatijs, moveris, judica ipse Cujus discipulus sis, non DEI qui est pacis & non dissensionis. Emenda si quod in hoc puncto peccati, satage discipulus fieri JESU, in Cujus schola alia præcepta non traduntur, nisi dilectionis & amoris DEI & proximi.

PUNCTUM SECUNDUM.

HÆc *mando Vobis ut diligatis in vicem.* Discipuli Domini adamussim impleverunt hoc præceptũ, adeò, ut ipsi Gentiles ædificati charitatè illâ mutuà solerent dicere: quomodo se Galilæi diligunt; hac charitate & unione fraterna totum mundum Christo subjugârunt, quod non effeciissent si inter eos jurgia & dissensiones reperirentur. Disparibus enim bobus, non benê trahitur Currus. Advertis ne unionẽ animarũ fuisse necessariũ mediũ ad Cõversionem mundi, & tu tentabis Conversionem peccatorum facere & mordetis vos invicem. Vis inter alios reintegrare charitatem, & inter vos inveniuntur schismata; vis alios inducere ad remissionem injuriarum, odia Componere, qui minimum verbum, pati nequis, imò tanquam turbator chori varijs modis rumpis aureum charitatis filum; vix tangeris, illico velut ætna fumigas; vis aliquid insigne pro gloria DEI efficere & inter vos divisio animarũ? non credas si charitatẽ non habeas, nihil es, nihil vales, quod enim una manus ædificabit, altera

destra

destruet, an nescis concordiâ res parvas crescere, discordiâ omnino etiam maximas dilabi; unitamque virtutem fortiorem esse, divisam infirmiorem. Imò si Satanas adversus sataoam divisus est, non potest stare Regnum ejus, inquit Salvator. Quomodo opus missionis fructuosum erit, quando operarij adinvicē divisi, ille illud, alter aliud vult aggredi & quidem cum Contentionibus; Sanctus Gregorius Operarios charitate destitutos, inhabiles pronuntiat ad Curam animarum: *qui charitatē erga alterum non habet, prædicationis officium nullatenùs suscipere debet.* Cura ergo, ut omnia vestra in Charitate fiant, ut sitis unius moris in Domo Domini, ut de vobis illud Davidicum cum exultatione occini possit: *Ecce quam bonū & quā jucundū habitare fratres in unum.*

hom: 11. in Evangelia.

Psalmo :132.

PUNCTUM TERTIUM.

HÆc mando vobis ut diligatis invicem: Unum sentiendo, honore invicem præveniendo, alter alterius onera portando, cui honorem honorem deferendo, de bono alterius tanquam de suo gaudendo, particulares amicitias fugiendo, non resistendo, non detrahendo, sinistrè non interpretando, à Verbis asperis contemptuosis abstinendo, honorifice fratrem tractando, ipsum ex Corde æstimando; quod si ex fragilitate humana verbo vel facto contingat pupillam hanc unionis fraternæ minùs respectuosè attingi, illicò ad normam Sancti Vincentij à Paulo, qui fuit forma Cleri sæcularis humili in genua prostratione veniam à proximo petere, & à similibus in posterum abstinere, imò sollicitè servare unitatem Spiriritus in vinculo pacis, memores illorum Verborum magni Doctoris Ecclesiæ: Læsæ Charitatis reparatio, est humiliatio.

CONSIDERATIO XXV.
De Memoria Præsentiæ DEI.

PUNCTUM PRIMUM.

Psal: 15. *PRrovidebã DEUM in Conspectu meo semper quoniam â dextris meis est mihi ne commovear.* inquit Psalmista. Qui quamdiu hanc Cælestem doctrinam secutus est, tamdiu bonus, Sanctus, Vir secundum Cor DEI mansit, at postquam Divini Oculi omnia & ubiquæ videntis oblitus, Liberiori oculorum ictu, formâ muliebri captus essет, illico in crimina effusus est, ac si DEUS ultor & vindex scelerum non extaret. Ad tanta disponit oblivio DEI ubiq; præsentis, sicut enim radius divisus à sole aut torrens separatus â fonte eo ipso perit, sic anima quæ est prona in malum ab adolescentia sua, si separatur à DEO, qui est fons omnium bonorum, si ipsum inquam in mente non habet, præcipitatur in multa peccata. Imò hoc primum principium peccandi & Apostasiæ à DEO excutere à mente memoriam præsentis DEI, ut advertit suo damno doctus Regius vates. *Non*

Psal: 10. *est DEUS; in Conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius*

in omni

in omni tempore. Quis enim tam effrons eſſet, qni in Oculis DEI ſcelus aliquod patrare vellet? quod in oculis hominis digni attentare non auderet, aut enim beſtia, aut diabolus eſſe deberet, ajt Diocles in vitt: P P. Hinc ſcelerati illi apud Ezechielem Cap: 9. ut liberius peccarent, hoc inſano animabant ſe Conſilio: *Dominus non videt.* Ah inſanis! videt etiam Secretiſſimas Cordis Cogitationes; videt, qui renes & Corda ſcrutatur DEUS, videt in abditiſſimis etiam locis, quia omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus, videt quidquid intra te, quidquid extra te agis, quia in ipſo vivimus movemur & ſumus. Si igitur dæmon Captâ occaſione aut loci oportunitate vel hominum abſentia ad aliquod peccatum te ſollicitaverit, recordare DEI, qui in iſto loco, in iſtis tenebris firmat ſuper te Oculos ſuos & dic inveteratori antiquo: quomodo poſsú peccare in Conſpectu Domini DEI mei, & ſic eripientur pedes tui à Lapſu.

PUNCTUM SECUNDUM.

AMbula *coram me & eſto perfectus*, hoc eſt debitum virorum ſpiritualium ut continùo ambulent coram DEO ſuo, id eſt habeant jugem memoriam præſentiæ ejus, quo enim differrent

à sæcularibus, nisi quod illi terrenis occupati omnibus absorbeantur, isti Cælestia Divina meditari teneantur, quiq; in omnibus DEUM venerentur. Id luculenter Colligis ex tua distractione, evagationibus, rara spiritus recollectione, neglectu frequentis elevationis Cordis in DEUM; verè sicut populus, sic Sacerdos. Hæc Sancta Consideratio Præsentiæ Divinæ impellit ad omnia benè fructuosè peragenda, sicut enim servus in Oculis Domini sui strenuè laborat, ita spiritualis Considerans Oculum DEI sibi attendentem cum majore attentione, reverentia devotione atq; perfectione res suas peragit. Tandem pia hæc cogitatio stimulus est ad profectum spiritualem, medium ad unionem cum DEO suo, juvat ad victoriam reportandam de tentationibus, continet in timore DEI, ad Cordis puritatem summe, confert, mirabile gaudiũ affert spirituale, uti ille expertus, qui dixit:

Psal; 76. *Memor fui DEI & delectatus sum*, insuper inchoat Cælestem quodammodò beatitudinem, quæ consistit in assidua Contemplatione DEI, est in hac vita signum Amoris DEI, quæ enim tenerè diligimus, assiduè de illis Cogitamus; cur parum de DEO Cogitas, quia non multũ diligis.

PUN.

PUNCTUM TERTIUM.

EXpende media ad conſtituendum te in præſentia DEI, 1. Eliciendo Actus fidei uti ante Orationem, examina, in introitu & exitu cubiculorum modo non perfunctorié ſed in ſpiritu id fiat. 2. Cum ſonat horologium elevare mentem ad DEUM. 3. In tribulationibus, anguſtijs ad DEUM clama, qui non longe eſt ab uno quoq; noſtrûm. 4. Cum aggrederis opus aliquod Confeſſionis, Concionis, prius illud commenda. 5. Intentionem frequenter renova. 6. In arduis quando agitur de vitando peccato, vel actu virtutis exercendo, conſtitue te coram DEO & magnificè ipſius præſentiâ delectaberis, alacrius DEO adjuvante ſuperabis adverſa, & aggrederis pro amore ejus difficilia. Aſſveſce ad illum actum: *DEUS nos videt* illumq; tam tibi quam alijs frequenter ſuggere. Bonus eſt modus immergendi ſe in præſentia DEI, ſi Conſideres tanquam piſcem in aqua, te in DEO moveri, vel ſi recogites illum in te tanquam in templo habitare, vel ſi illum imagineris tanquam Cuſtodẽ, diligenter ad ſingula opera tua attendentem, qui enim finxit Oculum, nunquid non Conſiderat, vel

denicq

denique si ipsum cogites tanquam adjutorem, sine quo nihil absolutè potes. Cæterùm omniũ optimus est actus fidei, ut potè non ita defatigans cerebrum, modo cum ipso Coniungatur actus amoris, conformitatis, laudis, admirationis divinæ; & certè de illicitis cogitare non licet, de sæcularibus ad tè non pertinet, ergo Cogita de DEO: *Oculi tui sint semper ad Dominũ, & ipse evellet de Laqueo pedes tuos.*

CONSIDERATIO XXVI.

De Cordis Compunctione.

PUNCTUM PRIMUM.

Math:12. *Bonus homo de thesauro suo profert bona* inquit Magister tuus. At Cor tuum thesaurus est, si in eo conservas Spiritum Compunctionis, os etiam loquetur ad Compunctionem, verùm si sit plenum vanitate, quid aliud eructabit, nisi vana, parum ad ædificationem Conferentia, ex abundatia enim Cordis os loquitur, ajt Veritas. Cum igitur operarius Evangelicus non ad Cachinnos excitandos, non ad delectationem aurium ex dictis conceptuosis, apologis ridiculis, quos aliquando proferunt Placẽtini adulterantes Verbũ DEI, & tanquã sutores Coriũ ad ineptas moralisationes detorquendo, sit vocatus; sed ad ingerendum horrorem peccati, ad excitandos ad pœnitentiam peccatores & Lachrymas, Ipsum necesse est incedere in spiritu humilitatis & animo contrito. Inquirat

nescio

neſcio quales conceptus, proferat ſubtiles argutias, tractet doctas materias, quid efficiet, ſe ipſum tanquam doctum multis prædicabit, verum Auditor nullum fructum reportabit, utilius ipsi eſſet ſentire Contritionem, quam ejus proferre definitionem, efficacius enim prædicarent lachrymæ, quam Copioſus verborum apparatus. Et hoc eſt punctum infelicitatis præſentium temporum, quod tam multi in Ecclesia Operarij reperiantur, qui ſe ipſos non fructum Animarum quærunt; unde verè pœnitentium & Contritorum meſſis pauca, quia ipsimet aridi, diſſoluti, Compunctionis Expertes erubeſcunt, verius nequeunt, ad Compunctionem loqui. *Prophetæ tui viderunt tibi ſtulta & falſa, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent, plauſerunt ſuper te manibus*, ineptias propoſuerunt, aures delectare curabant, Cor accendere negligebant. Hinc factum, ut auditores ex tot prædicationibus abirent frigidi, diſſoluti, eodem modo ad peccata affecti, sicut antea. Unde antiqui Verbi Divini præcones in hoc ſe potiſſimũ exercebant, ut non in ſublimitate ſermonis ſed in oſtenſione Spiritûs compuncti populum alloquerentut: uti legimus de S. Hugone & alijs: Melliſluus Bernardus illos Concionatores deprædicat, qui devoto ſermone ad cordis contritionem, ad dulces lachrymas auditorem movent, Tuum eſt id Officium, ad hoc vocatus es, vis potare plebem Vino compunctionis, ipſemet te ſerva in Spiritu pœnitentiæ veluti Dominus JESUS, qui aliquoties fleviſſe legitur, riſiſſe nunquàm. Hoc Sacrificium cordis contriti & Spiritûs contribulati in dies Deo conſecra, tunc fructuosê docebis iniquos vias Dei, & impij ad ipſum convertentur. Thren: 2.

PUNCTUM SECUNDUM.

COnsidera motiva quæ te tpſum ad compunctionem movere debent. 1. Peccata aliena quibus DEUS ſummè bonus continuo ab hominibus Offenditur deplorare, cum enim videmus aliquem intimum Amicum noſtrum, cui benè ſumus affecti innocenter opprimi, confundi nō ne condolemus? non ne triſtamur imo flemus, cum flentibus, at quomodo ſiccis Oculis aſpicimus tot peccata, tot offenſas, quibus Dominus DEUS & ipſius bonitas in dies Conculcatur, abijcitur, contemnitur, verùm adhuc magis urgent nos ad Compunctionem proprij exceſſus. Ah bone DEUS quot à te accepi beneficia, numera ſtellas ſi potes, & ego quid bonitati tuæ reſtitui ? ecce ego pro amore offenſam, pro beneficijs ingratitudinem, pro tua erga me pietate innumera peccata. Quis dabit Capiti meo aquam, & Oculis meis fontem lachrymarum! Et quod rei cardo eſt, egine aliquando condignam pœnitentiam? ſatis ne feci pro peccatis, quibus non eſt numerus ? ſum ne amore; an odio dignus? jam ne poſſum eſſe ſine metu? nequaquam ! nemini id revelatum ſcio, me ſcio ab toties peccaſſe, Creàtorem meum Patrem amantiſſimum offendiſſe, at non ſcio me condignè pœnituiſſe, non ne hæc pia reflexio in continuaCompunctione & ſpiritu pœnitentiæ me continere debet, ergo ite meæ Lachrymæ gemebundas rumpite voces. Expende igitur quotidianas imperfectiones, defectus à te commiſſos, negligentias in ſervitio DEI, in tentationibus fragilitatem in proſperis arrogantiā, in adverſis animi abjectionem, tot tamq; multas miſerias ſpirituales, quibꝰ in dies obrueris. Ergo ne poſt iſtorum ſeriamConſiderationem, trades te ineptæ

lætitiæ

lætitiæ dissolutioni? non ne satius velut columba gemitibus inenarrabilibus flens Cor contritum & humiliatum servare curabis ?

PUNCTUM TERTIUM.

VErum ut in praxi spiritum Compunctum serves, expende frequenter hujus vitæ miserias, uti brevitatem incertudinem, inconstantiam & fallaciam: Recogita insuper quotidianos defectus, imperfectiones innumeras fortè purgatorij flammis mulctandas, revolve segnitiem tuam, quid à tot annis in spiritu profeceris, cumq; jam sanctus perfectus evadere debueras, tu nec alphabetum perfectionis didicisti, non ne hæc expriment Lachrymas Cordis, 2. Dum legis, cantas, vel scribis conciones, semper ad compunctionem Cor converte exemplo Sanctorum, qui legendo breviarium profusè flere consveverunt. 3. Postula à Deo Spiritum compunctionis cum Psalte dicendo: *Ciba me Pane lachrymarum, & potum da mihi in Lachrymis in mensura*; quia taliter flere est summa voluptas. 4. Ineptas lætitias, nimias relaxationes, verius dissolutiones, effusionem in cachinnos devita, non enim decet sub veste lugubri, Cor non esse mœrens. 5. Actum Contritionis serio & ex corde frequenter elice, præcipue ad pulsum horologij, ante cubitum in cubilibus tuis Compungere- quia super humilem & contritum requiescit Spiritus DEI. 6. Cogita dies antiquos, & annos æternos in mente habeto, agnosce te in misero hujus sæculi exilio degere, & flere magis lubebit quam ridere. 7. Recordatio quoque novissimorum tuorum juvabit ad Compunctionem. Utinam fieret tanquam mare contritio tua, impleretur enim de te Pro- Psal: 79.

 pheticum

Psal:125. pheticum dictum: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem, venient cum exultatione portantes manipulos suos* ex uberi messe missionis.

CONSIDERATIO XXVII.

De Fervore Spiritûs.

PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera rem admirandam in Divo Paulo Doctore Gentium, is enim & si esset staturæ abjectæ, sermoq; illius multis videretur contemptibilis, ut ipse de se in humilitate testatur, nihilominùs mundum ab ortu ad occasum cum summo discrimine peragravit, plurima Regna, vastissimasq; Provincias Christo ejusq; Evangelio subjugavit, ad amorem JESU Christi Crucifixi, quamvis tunc summæ infamiæ crux erat, induxit; Tot pericula, obstacula, sexcentas difficultates in prædicatione Evangelij superavit, Græcis & Latinis, Barbaris & Judæjs laboriosissimè Fidem in Christum instillavit, ac demùm eos feliciter lucratus est, unde tanta efficacia huic Apostolo, quia fuit fervens Spiritu, plenus devotione & fervore Spirituali ut testantur Ipsius Epistolæ, & dicta in Actis Apostolorum, quæ omnia esse videntur ignita, ignemq; devotionis spirantia: Unde non mirùm, quod alios inflammaverit quia ipse amore DEI ardebat. Idem quoq, debitum est virorũ Apostolicorũ, ut valeant alios accendere ipsi sint ardentes Spiritu, per remissos enim indevotos, tepidos, DEUS nihil insigne operatur. Qui ministros suos facit ignem urentem. Hoc igne æstuans Dominus JESUS dicebat ignem se venisse mittere in terram, & quid volo nisi ut

nisi ut accendatur & ardeat. Vis ne & tu in functionibus tuis Apostolicis incendere plebem, & frigida peccatorum corda inflammare, felicior Phàéton esto, fervens spiritu, devotione æstuans: Sermo tuus sit ignitus, ut cum discipulis euntibus in Emaus dicant Auditores: *non ne cor nostrum ardens erat, cum loqueretur.* Lucæ 24.

PUNCTUM SECUNDUM.

EXpende secundo cur Divinissimus Spiritus in Christum Dominum in Specie Columbæ descenderit, ast cum discipulos r pleturus erat in igne apparuit, quæ ratio diversitatis? quia discipuli mittendi erant ad inflammandum orbem circa DEUM & res Divinas plane frigidum, hinc necesse fuit illos prius accendi igne Cælesti. Et exinde collige, quem fervorem Spiritùs præseferre tenentur, mittendi ad Conversiones animarum. *Revolve* secundò ante adventum Spiritûs Sa cti, quid insigne fecerunt Apostoli pro Gloria DEI? nihil planè, at postquam de Cœlo ignis vibrante Lumine perstricti sunt, illico factis & verbis profui & charitate fervidi in universum mundum lumen fidei invexerunt toto Inferno reclamante. Nec operarius Evangelicus fructum aliquem in Cura Animarum faciet, nisi ardeat Igne spirituali velut Seraphim. Tu quidem libenter ad missiones progrederis, verùm prius vide an habeas ignem de excelso in ossibus tuis, an sis fervens spiritu? vis scire consule meditationes tuas & alia exercitia devotionis, cum quo fructu, devotione, attentione, alacritate à te peraguntur, an zelus animarum in dies in te augeatur, an non pigeat te pro gloria DEI laborare? ah forte fateri cogeris: *Lampades nostræ extinguuntur* Qua propter sicut fatuæ Virgines ob neglectam Matth: 25.

Conſervationem ignis in lampadibus, non ſunt aſſecutæ ſuum intentum, quinimo à dilectiſſimo ſponſo turpiter repudiatæ; Nec tu quidem ſalutare & eximium conficies opus, ſi in Corde tuo ignis & oleum deficiant, quinimo metuendum eſt tibi fulmen illud contra Apocalipticum Epiſcopũ cui aliquantulum de primo fervore ſpiritus remittenti intonatum. *Quia primam charitatem reliquiſti: veniam ad te & movebo candelabrum tuum.*

Apoc: 2.

PUNCTUM TERTIUM.

QVa propter 1. ſollicitè cura cxcutere ſocordiam, languorem nonnunquam obrepentem in operibus Divinis, ſciens maledictum eſſe, qui facit opus DEI negligenter, è contra verò conare promptè pro gloria DEI laborare, & quamvis caro infirma, Divino labore fatigata videatur languere, nihilominus ſpiritus ſit promptus, mens ad DEUM intentè elevata. Intantum eſt actio tua DEO placitura, quantum de fervore, alacritate, attentione habuerit: *vidiſti Virum velocem in opere ſuo, Coram Regibus, ſtabit gratioſus & amabilis* 2. Antequam te conferas ad functiones tuas exemplo Sanctorum Apoſtolorum, reclude te in cœnaculo ſolitudinis, in eoq́; per exercitia quotidiana illa ritè & cum debita applicatione mentis peragendo, nec non per extraordinarias devotiones ignem iſtum Cæleſtem accendere cura, Sancti Spiritûs inplora opem, ut ſicut diſcipulos ante miſſionem in univerſum mundum inſtituendam cælitus inflammavit, ignem quoq́; ſui amoris accendat in Corde tuo. Satage induere Sanctorum Apoſtolorum ſpiritum, qui cum intenſiſſimo fervore circa ſalutem Animarum deſudarunt. Excita in te deſiderium qua maximum pro DEO & ſalute animarum

laboran

borandi & patiendi: Intuere exempla indefeſſorum Virorũ Apoſtololicorũ, uti Vincentij Ferrerrij, Eranciſci Xaverij, qui Cum ſumma diligentia, applicatione, & Zelo laboraverunt cum diſpendio etiam vitæ. Poſtquam autem deſuper te inflammatum ſenſeris, noli Spiritum extingvere, quinimo velut ignem de Cœlo lapſum, oleo devotionis, compunctionis, unionis cum DEO variarumque virtutum actibus foveto, miſſas, officia Divina, examina, cum ſenſu devotionis perage, Jaculatorias orationes ignitas, in uſu habeto. Cave ab inutilibus diſtractionibus, quia ſicut aqua frigida admiſta calidæ eam frigefacit, ita diſtractiones inutiles extinguunt ſpiritus fervorem. Statue tibi ante oculos, aulicos, milites, mercatores, cum quanta illi applicatione Dominis inſerviunt, placere quærunt, ſtationes peragunt, & hi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; Ah cum quanto fervore agendum eſt illis qui accepturi ſunt immarceſcibilem coronam juſtitiæ.

CONSIDERATIO XXVIII.

De Unione cum DEO.

PUNCTUM PRIMUM.

QUi manet in me & Ego in illo, hic fert fructum multum veluti palmes, unitus viti dulces profert botros, reſectus autem non valet, niſi ut in ignem mittatur, & ardeat, ajt Veritas; quo diſcurſu innuit Operarium Evangelicum nullum fructum in Vinea Domini allaturum; ſi non ſit unitus cum vite JESU Chriſto. Unde Joan: 15.

etiam

etiam proferet actus elevatos, qui erga DEUM devotione non fervet? quomodo commendabit amorem DEI, cum ipſe per eundem agglutinatus non eſt? quomodo Dominum DEUM ſpirabit, qui ipſo plenus non eſt, imò nec loqui condignè deDEO poterit, â cujus corde exulat; aut ſi aliquid dicet, garriet velut pſittacus ſine ſenſu, ſine affectu, ſine devotione. Certè vas pice plenum non ſpirat odorem balſami, nec remotus abigne ipſe calefiet, aut aliũ calefaciet. Qua propter viri Apoſtolici ſemper curabunt diligentiſſimè conjungi arctiſſimè DEO, quia qui DEO conjungitur, unus eſt ſpiritus cum eo, ejuſq; ſpiritu agitatur, cum ingenti lucro animarum. Et profecto non ob alium finem DEUS ſuſcitavit tot Concionatores, tantummodo ut mortalium corda abſtraheret ab Amore caducorum, & accenderet ad cognitionem, timorẽ & amorem DEI. Putas id præſtituros indevotos, raro, vel nunquam de DEO cogitantes, minimé DEO immerſos? nequaquam. Ergo ne tu in vanùm labores, cura adhærere Deo, quia & tibi & alijs proficuum erit; guſta frequenter quam ſvavis eſt Dominus ut ejus ſvavitatem teneriùs recomendes accede ad eum, & illuminaberis.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

SIne me nihil poteſtis facere, veluti inſtrumentum ſine motione cauſæ principalis; elegit te Dominus DEUS ex ſuperabundanti miſericordia ſua, tanquam inſtrumentum ad gloriam ſuam promovendam, ad procurandam ſalutem Animarum, ſcito itaq̃ inſtrumentum debere conjungi cũ cauſa principali, ut effectũ producat, ita & tu, ut aliquid efficias dignum DEO, fructumq̃ afferas, conjunctus neceſſe ſis cũ cauſa principali Domino DEO tuo. Quando Moyſes elevatas manus in Cælum tenebat, Iſraeliticus populus feliciter vincebat, proſternebat adverſarios; cum ad terram demitteret, vincebatur; Niſi & tu cor tuum elevatum ad DEUM habeas, non proſternes inimicos DEI, non ſubjugabis peccatores. Dominus JESUS Operarios Evangelicos dignatus eſt Luci coæquare, dum dicit: *Vos eſtis lux Mundi*, at Lux à radijs ſolis provenit; qui conjuncti cum ſole egregiè illuminant, calefaciunt, lutum in aurũ transformant, diviſi nihil horum præſtant. Eò ferè modo Operarius Evangelicus, unitus Patri Luminum verbo & Exemplo illuminat, ad Amorem DEI accendit, miſeros peccatores

Math: 5.

justos efficit. Quare si saltem Scintilla Zeli Animarum Spiritûs ve Apostolici in te reperi-
Cant: 1. tur, dic cum Zelante Sponsa: *Dilectus meus mihi & ego illi inter ubera* cordis mei abhinc commorabitur.

PUNCTUM TERTIUM.

TRiplex autem unio ordinariè cum DEO statuitur, videlicet Gratiæ Sanctificantis, Gloriæ & Unionis Hypostaticæ. *Primam* in te suppono. *Secundam* Curare non desinas, *Tertia* tibi minimè convenit, verùm præter dictas Uniones, vellẽ à te aliam serio curari videlicet Laboriosam, activam, Vivam, per actus & affectus pios Sæpius elicitos, repetendo duntaxat frequenter Actus Amoris erga DEUM, quibus sine dubiò, seriò & non ex habitu elicitis, in timè Conglutinaberis DEO, in eoq; continuo manebis: *Anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat.* Adora Dominũ DEUM tuum in omni loco dominationis ejus, elice actum Contritionis de peccatis, spei, desiderij, in omnibus placendi DEO; quid agis pateris, omnia in gloriã DEI referto. Assvescas conformitati, voluntatis tuæ cum Divina. Recurre in necessitatibus pro auxilio opportuno ad DEUM. Habeas

jugem

jugem memoriam præsentiæ ipsius, sæpius ad ipsum mentem elevando, ut meditatio Cordis tui in Conspectu ejus sit semper. Ex varijs creaturis ascende in DEUM vg dum pluit, nix cadit, dic: o DEUS meus quot guttæ pluviæ stillarunt, quot flosculi nivis ceciderunt, vel cassuri sunt, toties te adoro, Laudo, amo, benedico, gratias ago pro omnibus beneficijs universo mundo Collatis &c. similem ascensum facere potes, ex floribus, Frondibus, segetibus, granis, atomis, arena, pecoribus, volatilibus &c. Tandem cura dignè uti Sacramentis præcipue Sanctissimæ Eucharistiæ. Illius rectus usus efficiet, ut dicere cum Apostolo possis: *Vivo ego, jam non ego.* Galat: 2.

CONSIDERATIO XXIX.

De Recollectione Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

ANima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. Pfal:118. Efficacissimum medium ad servanda mandata, ad vivendum in sanctitate & justitia coram DEO, est recollectio spiritûs, & quasi continua in manibus ejusdem

tentio, velut enim avicula filo alligata ad nutũ pueri paret, rupto autem filo in libertatem redacta huc illuc pervolitat insolenter, pulveres excitat, vermiculos devorat avidè, loca munda, quandoq; Consecrata sordidat, non raro etiam in ungves rapaces incidit. Idem Contingit Animæ de manibus Sanctæ resolutionis elapsæ, quæ rupto illo recollectionis vinculo, libertatẽ quandam in dictis & factis assumit, mentem advana Objecta dissipatam retinet, quibus non raro inquinatur, defectus, imò peccata velut muscas sine scrupulo deglutit, hanc vel illam regulam liberè transgreditur, actiones quandoq; Sanctas perverso agendi modo commaculat, non raro etiam propter illam dissipationem exponit se periculo gravis ruinæ. Ideo diviniſſimus Spiritus animam devotam vult esse hortũ conclusum, fontem signatum, ad quem non habeant accessum rapaces bestiæ, serpentes, bufones, & alia insecta immunda, at ablatis sepibus, & fonte aperto cuivis facilis patet aditus. Ita anima spiritu recollectionis concluſa, secura est ab insectis peccatorum, & Lapsuum gravium, at postquam sepes recollectionis dissipatæ fuerint, invadunt miseram animam lupi

gulosi,

guloſi, Urſi murmurantes, viperæ occidentes animam, porci immundi &c. Cogita plura quæ poſſint contingere animæ irrecollectæ, & time hunc deplorandum ſtatum.

PUNCTUM SECUNDUM.

Effuſus es ſicut aqua, non creſce in virtute & perfectione, in Zelo Animarum. Velut enim arcus laxatus non ferit, nec Operarius diſſolutus duritiam peccatorum frangit, & velut aqua ruptis aggeribus per Campos diffuſa plus officit, quam proficit, ita & Operarius Laxatus, apud quem nulla modeſtia, nulla ſenſuum cuſtodia, immoderata ad exteriora effuſio, amor mortificationis evanuit, rara in DEUM mentis elevatio, Præſentiæ Divinæ profunda oblivio, in cibum & potum guloſa propenſio, Commoditatum carnalium ſollicita exquiſitio, ſilentij cultus nullus, orationis faſtidium, in exercitijs ſpiritualibus naulea, virtutis ac perfectionis acquirendæ cura nulla, quinimo vanæ gloriæ placendivé hominibus ambitus, ſibili & plauſus hominum quæſtus, in ſuis Actionibus, ſi ſuccedant Complacentia, ſolitudinis fuga, licentioſus, ſæcularis, mundanus in agendis modus. Ah talis Operarius plus obeſt in miſſione quam Gen:49.

 prodeſt,

prodeſt, magis enim ſpectatores licentioſo illius agendi modo offenduntur, quam dictis neſcio quibus ædificantur: mundani etiam homines non ita multum attendunt ad ea, quæ ipſis proponimus, verùm curioſé ſpeculantur, quomodo nos ipſi gerimus. Quod apprimè intelligens ignitus ille Miſſionarius S. Paulus monet nos ut cautè ambulemus, *quia ſpectaculum facti ſumus mundo, Angelis & hominibus*, qui ſtudiolè attendunt ad Actiones noſtras. Hinc Dominus JESUS admirabili illa compoſitione interiori & exteriori recollectione ſupra modum ædificabat turbas, quæ certatim in eum irruebant. Stude & tu præferre recollectionem exteriorem propter ædificationem proximi, & propter proprium profectum.

PUNCTUM TERTIUM.

1. Tim: 4. *ATtende tibi & doctrinæ inſta in illis hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.* Cupis eſſé recollectus, tamq; inte quā in proximo fructum afferre, attende tibi 1. ad verba, qualiter à te proferuntur, aut proferri debeant: Ad opera, an cum ædificatione & ad limam honeſtatis, an ſecus ſint peracta? attende ad ipſas Cogitationes, circa quæ Obiecta occupantur,

pantur, honesta nè, an turpia, an inutilia, & conare illas refrenare, & applicare ad Meditationem Cælestium, aut saltem animæ utilium. 2. Si non frequentiùs saltim in examinibus particularibus serio te recollige supra elapsum tempus, utiliter ne an otiosè, potius vitiosè effluxit, & cautius in futurum agere stude. Ad recollectionem mire conducit ambulare in præsentia DEI, in omnibus Dominũ DEUM tuũ quodammodo spirare, ipsius gloriam & gustũ Sanctissimũ in omnibus inquirere, conijce etiã identidem oculos ad dignitatem vocationis tuæ, maximè quando cum proximo agis, Cogitans ad quam recollectionem & ad dandam ædificationem te obligat, cave ne aliqua dissolutione eam inhonestes. Optimum etiã est, post opus peractum, externum post reditum à Conversatione cum proximo examen instituere, qualiter hæc cesserint. Nihil cæco impetu aggredi, verùm in agendis Considerare finem, motiva & fructum Spiritualem eliciendum, cum ad extra egredi, aut agere contingit. 1. prævide & dispone quomodo in illa actione coram Domino DEO tuo agere te oporteat, ad extremum nunquam te effundas in cachinnos, conversa-

tiones

tiones, confabulationes, & alia similia immoderatè, postquam autem te deprehenderis aliquantulum dissolutum, illico Oculi tui sint ad Dominum, reduc te ad recollectionis orbitam, ut scias quid agendum vel non agendum sit, dicendum aut omittendum. Tandem time periculosum dissipationis statum, recordatus illius Divinæ Comminationis: *Quid faciam vineæ*
Isaiæ 5. *meæ auferam sepes ejus, & erit in direptionem, & in conculcationem.*

CONSIDERATIO XXX.

De Cura Minimorum.

PUNCTUM PRIMUM.

Eccl: 7. *QVi timet DEUM nihil negligit;* hoc est singulare erga Dominũ DEUM, filialis amoris & affectus indicium, in minimis etiam fidelem esse. Graviora observare promiscua Christianorum omnium obligatio; at in minimis exactũ esse, nec in parvo dilectum contristare tenerè diligentium Argumentum. *Qui timet DEUM nihil negligit*, quia minima multum placent DEO; Non ne duo oboli pauperis viduæ gratiores erant Domino DEO, quã nummi aurei

Phari-

Phariſæorum. Et Dominus JESUS juſſit diligenter aſſervari fragmenta, ne pereant. *Qui timet DEUM, nihil negligit*, quia ex minimis ingens theſaurus coacervatur meritorum. Si enī modica frigidæ aquæ ſitienti propinatio, non eſt ſine mercede, quid? ſi plures tales actus exerceantur, parva lucra conſtituunt magnum theſaurum. Vidua Sareptana, parumper olei quo ungebatur infundens in dolia vacua, recepit plena. Spiritualem quendam virum paupercula ad januam Eccleſiæ mendicans, docuit, quid ſit cura minimorum. Hæc enim obolos pro eleemoſina oblatos conſervans, ingentem pecuniæ ſummam collegerat, quam moriens obtulit obſtupeſcenti Confeſſario, ſimulq; inſtruxit, non eſſe negligendas exiguas occaſiones merendi. *Qui timet DEUM nihil negligit*; quia totum robur perfectionis, curæ minimorum innititur; an non tota fortitudo Samſonis exiguis capillis inſita erat? vis igitur dilecte perfectus evadere, minima non negligas.

PUNCTUM SECUNDUM.

MOdicum fermentum totam Maſſam corrumpit. 1. Cor. 5.
Et qui ſpernit modica, paulatim decidet. *Exi-* Eccl: 19.
guus pomi eſus in Paradiſo qui perdidit mundum

& te Quid pilo vilius, & tamen insolens Absalon in frondosa quercu proprijs capillis suspensus perijt, Time ne ille defectus, quem pro vili pilo habes, illa regula quam negligens conculcasti, illa monita quæ toties contempsisti, ne inquam te deducant ad statum miserabilẽ. Ideo
Cant: 2. monet sapiens: *Capite vulpes parvulas quæ demoliunt vineas*, nemo enim repentè fit malus. Sentina lata præmonet nautas, ne navis periclitetur, & angusta stillicidia ob exilitatem neglecta naufragium pariunt, multa modica faciunt unũ satis. Et quamvis apud Causidicos valet ista regula; de minimis non curat prætor, parum pro nihilo reputandum, at apud spirituales nihil laudabilius, quam cura Sancta minimorum.

PUNCTUM TERTIUM.

Psal: 136. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad Petram.* Conare hanc beatitudinem assequi, illas quantumvis parvas tentationes, illos exiguos defectus, illas quamvis remotas occasiones allide quantocius ad petram detestationis, Quæcunq; sunt in domo DEI ad perfectionem ordinata minima ne æstima, nihil enim in Domo DEI est abjectum & humile. Imitare Mercatores qui lucra parva unius & alterius diei in

unum

unum conferentes, evadunt opulenti, Ama ferventer DEUM, & nihil negliges: Cogita te non esse vocatum à Domino DEO ad Martyriũ subeundum, cui fortè non esses par, non ad eundum ad chynas, non ad Barbariam &c. saltem ergo fac probam dilectionis tuæ in DEUM, ista minuta diligenter curando. quod si præstiteris dulcem illam in morte occines tibi aut potius, Angeli Sancti melodiam audies: *Euge serve bone* Math: 25. *in modico fidelis intra in gaudium Domini tui.*

CONSIDERATIO XXXI.

De Paupertate Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

VUlpes foveas habent filius hominis non habet ubi Math: 8. *caput reclinet,* nisi fortè in præsepio & Cruce. Considera igitur illius delicias & commoditates in dictis reclinatorijs. In Cruce nudus moritur, in stabulo vix pauxillum fæni invenit; in Cruce felle & aceto potatur, in stabulo modico Lacte pastus est, Dominus Cæli & terræ, in mundum veniens non habuit locum in diversorio, post mortem alieno sepulchro tumulatur; natus abjectis pannis involvitur, mortuus

emendicata ſindone tegitur. Ita Dominus noſter miſſus ad reformandum Mundum â DEO Patre, pauperrimè tractatur. Mitteris & tu ad Convertendos mundanos, noli quærere ac prætendere delicias, divites enim id eſt Commoditatibus immerſi, abundantes, aut potius requirentes in omnibus ſatisfactionem, non ſunt apta inſtrumenta Divinæ Providentiæ ad ſalvandas Animas. Hinc ſapientia incarnata, non divites, ſed pauperes elegit ad Converſionẽ Animarũ. Optas & tu evadere idoneum inſtrumentum ad ſalutem Animarum procurandam, fuge immoderatam ſollicitudinem de Commoditatibus victûs & amictûs, diſce modico contentum eſſe. Regius David indutus pretioſis Saulis indumentis, non potuit congredi cum Philiſteo, nec tu contra infernalem Goliath prævaliturus es, niſi nimiam curam carnis, commoditatum quæſtum, amore pauperis JESU abijcias. Luctandum tibi in Miſſione cum nudo dæmone, nudus ergo lucteris ne inveniaris in quo capiaris.

PUNCTUM SECUNDUM.

Lucæ 10. NOlite portare neq; ſacculum, neq; peram, neq; duas tunicas &c. Dominus JESUS ordinans ſuos ad Miſſionem, vide quomodo illos

illos ornat paupertate, non expedit poſt illos currus onuſtos, non apothecas, non veſtiarias. Rumina hæc & Confundere delicate Apoſtole, qui ad Miſſionem velut ad caſtra diſceſſurus totam domum, plena cellaria exportare velles, non contentus neceſſarijs, ſuperflua exquiris, ac ſi ad convivia inſtituenda, & non ad populi peccata Comedenda mittendus eſſes. Utinam ſic ſollicitus eſſes de converſione Animarum. Quomodo proh pudor, non ſemel te anxium oſtendiſti, circa curam carnis & cuticulæ. Unde cum aliquod incommodum in quiete, cibo, potu veſtitu, inciderit, heu quantum Conquereris! Murmuras, Superiori incuriam obtrudis, ah voluptuoſe miles! tibi obtrudendum eſſet, *qui formidiloſus eſt maneat domi*, qui timet aliquid pro nomine JESU pati, maneat, ſordeſcat domi.

PUNCTUM TERTIUM.

HAbentes *alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus.* Et quidem ordinaria non nimis exquiſita, nec multiplicata. Domino JESU ſufficiebat unica tunica inconſutilis, tu neſcio quod requiris, idq; ad formam mundanorum hominum elaboratas. Diſcipuli cum Domino JESU pagos & Caſtella cum Verbo DEI cir- 1. Tim. 6.

cumeuntes ſpicas vellebant, panes hordeaceos manducabant, etiam ſi ſerio laborarent. Ad eam ſcholam remittendus eſſes, qui delicatas dapes, fercula non obvia prætendis. Dominus JESUS poſt diurnos labores pernoctabat in deſerto, capiti ſaxum ſubponens, tu velles habere Regia Palatia, diſplicent pauperes Caſæ. Ut ergo defectus paupertatis tibi ſapiat, Conjice Oculos in dulciſſimum & pauperrimum JESUM, reſpice ejus Diſcipulos qualiter erant tractati; non ne in laboribus & nuditate, paupertate, iejunijs multis, quantumvis plus te laborarent, & eorum exempla imitare.

CONSIDERATIO XXXII.

De Caſtitate.

PUNCTUM PRIMUM.

Galat: 5. *Qui Chriſti ſunt* non ficti diſcipuli, ſed eximij operarij, *carnem ſuam Crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ſuis.* Cum enim præcepta carnis ut potè inter homines frequentiſſima, omnis enim caro corruperat viam ſuam, extirpare debeant; neceſſe eſt cordibo illorum ſummum amorem puritatis ineſſe. Quis enim ſincerè & ex animo illud damnare valet, quo ipſe tenerrimè excæcatus afficitur. Ideo Dominus JESUS flos ille imma-

immaculatus campi,& Lilium Convalium, mundum conversurus, virginitatem coluit, discipulosq; suos ab uxoribus abstraxit, ut doceret: non bene convenire, nec in eadem sede morari zelum salutis animarum & amorem voluptatum fædarum. Ex politicis hystorijs id etiam evidenter liquet effœminatos illos sardanapalos, carnalibus spurcitijs immersos, nihil dignum æternitate egisse. Nec operarius Evangelicus quidquam DEO dignum acturus est, si non sit alienus ab omni etiam impuritatis specie. Quomodo enim ipse sordido immersus cœno, alium infixum profundo luto eruet & restituet Cœlo. Quis unquam Conspurcatis manibus absterserit alterius maculas? imo peius deturpavit. Cave ne inveniaris in numero illorum, dequibus dicitur: *Peccaverunt etiam filij ejus in sordibus.* Angelus es in ministerium hominum missus, ut capiant hæreditatem salutis; Angelica puritate tibi prælucendum est, quæ minimam etiam Cordis, oris, & operis commissionis & omissionis deliberatæ impuritatem excludit. Quovis fortè die Angelico vesceris cibo, vide quantam puritatem præseferre teneris. Deut: 32.

PUNCTUM SECUNDUM.

AMbulans in via immaculata, hic mihi ministrabit. Nam spurcitijs deditus planè ineptus est ad ministerium verbi, Citius enim animas pervertit, quàm convertit, velut pestifera infectus lue; etiam contagione alterum inficit. Ita impuritatis lue tabescens, ipsis etiam Sacris ministerijs, & ad salutem ordinatis medijs utitur non rarò ad suam & aliorum damnationem, utinam talia non audirentur. Considera vitium oppositum puritati, quantumvis commune, & forte quotidianum, in serico Psal: 118.

enim

enim & in panno eadem dominatur libido, nihilominùs ab omnibus etiam impuriſſimis damnari; illosq; ſolent deteſtari, de quibus ſiniſtra etiam ſuſpicione luxuriæ laborant. Mulier enim fornicaria ut ſtercus conculcabitur in via, & ut canit S. Proſper: damnat & in mæchum gladios diſtringit adulter. Quid ergo Chriſtianus populus de illo operario ſentiret, in quo ſcabiem hanc notaret, ſermones Ejus alias zeloſiſſimi, labor & ſudor circa Animas profuſus, ab omnibus conculcaretur, contemneretur. Cura ergo puritate nitere, ſicut ſpeculum terſum, in quo non tuas, ſed ſuas maculas advertant peccatores. Fiat tanquam lympida Aqua ab exiguis etiam impuritatis atomis aliena, ut tuus Zelus ſit acceptabilis & ſalutaris famelico Populo.

PUNCTUM TERTIUM.

Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar in juſtificationibus tuis Orabat Pſaltes. Id eſt tibi extra ordinarijs etiam medijs ſollicitè expetendum, aſſequeris ſi claudes portas, per quas intrant maculæ; noli inſpicere quod non licet concupiſcere; minimã cogitationem puritati detrimentum allaturam, illico cohibe, opprimasq; in herba malum. Cogita momentaneum eſſe quod delectat, æternum quod Cruciat; muni te Caſimiriano propoſito, eligendo mori potius quam fædari. Occaſiones in quibus puritas in ſuo nitore læderetur; ſerio evita; ora DEUM ut in te creet Cor mundum, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi DEUS det: maximè cum te accingis Confeſſionibus audiendis, in quibus tot ſpurcitias auditurus es, & tamen non es lapideus aut æneus. Cum diverſo ſexu cautè agere ſtude, ab omnibus familiaritatibus abſtine, tibi

ipſi

ipſi minimè confidas, quia proni ſunt hominis ſenſus in malum ab adoleſcentia ſua. Tentationes dæmonis vel carnis generosè vincere, mortificationem affligere, carnem omnibus puritatis cultoribus fuit familiare, ſciverunt enim carnem corrumpi, niſi ſaliatur, aut in fumo ſiccetur.

CONSIDERATIO XXXIII.

De Fuga Converſationis muliebris.

PUNCTUM PRIMUM.

VInum & mulieres faciunt apoſtatare ſapientes. Non enim convenit ſtuppæ vicinitas ad ignem, nec pulveri nitrio ad Carbonem accenſum, nec operario Evangelico familatitas immoderata cum diverſo ſexu. Quis ſufficienter deplorabit ruinas tot egregiorum in Eccleſia DEI Operariorum, qui à fide & Religione defecerunt, animas ſuas & mille aliorum inferno devoverunt, non aliam ob cauſam in huc miſerabilem prolapſi Caſum, niſi ob incautam cum diverſo ſexu familiaritatem, ob indiſcretas & frequẽtes, minus autem neceſſarias Converſationes, viſitationes, & confabulationes, quæ ab initio ſub prætextu & pallio ſpiritualis directionis ſunt aſſumpæ, brevi illa ſpiritualitas degeneravit in Carnalitatẽ; tandem deventum ad abſurda, ad deſertionem vocationis, non raro apoſtaſiam à fide. Qua propter ſi non vis capi, Cave hanc muſcipulam, nec fidas viribus proprijs, virtuti, jam probatæ dexteritati, Annorum maturitati, & antiquæ in Spiritualibus exercitationi, quia non es ſanctior Davide, Sapientior Salomone, fortior Samſone, ſenibus apud Danielẽ provectior, & tamẽ hos conſortium muliebre pervertit &c. Quapropter monet Eccl: 19.

ſapiens,

Prov: 5. ſapiens, *ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim diſtillans labia meretricis*, primũ, verbũ cum illa muliebri teneritudine prolatum. Etiamſi tibi videaris habere Cor adamantinum, bene fundatum & firmatum in timore DEI, ita illud emolliet, ut & timoris DEI obliviſcaris, judicia ſevera DEI minimè reverearis, nullumq; remedium ſpirituale profuturum tibi ſit, quin te experiaris infeliciter vinctum, captivatum, & irretitum, multos enim deiecit vulneratos, & fortiſſimi quoq; interfecti ſunt ab ea, monet ſapiens. Perterrefaciat te vel unus inter mille ſimiles Eremicolæ Jacobi lapſus, in quem poſt multos in profunda eremo ſanctè exactos Annos, non ſatis cauta cum muliere Converſatio jam decrepitum præcipitavit. Es ne tu ita ſanctus ſicut ille? & tamen non es ita cautus.

PUNCTUM SECUNDUM.

Eccl: 7. *INveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus Venatorum eſt, & Sagena, Cor ejus vincula ſunt, manus illius; qui placet DEO effugiet illam, qui autem peccator eſt, capietur ab illa.* Intelligis hoc Diviniſſimi ſpiritus monitum, ſerva ergò illud in corde, venatores Animæ Cave, ne fias ipſe in prædam. Sagena iſta, ah quàm multos velut fatuos piſces cæpit operarios! Vincula hæc quot experti ſunt DEI famuli, quas à timore & amore DEI nullæ difficultates, auſteritates, reprehenſiones, deijcere valuerunt, muliebris converſatio illaqueavit, Hæc cogitando magis flere lubet, quam aliquid dicere. Ne dicas perſonam illam eſſe Sanctam, Probatam, honeſtam, nullumq; ſubeſſe periculum, quia optimè

Eccl: 7. dicit ſapiens: *Virum de mille reperi unum, mulierem*

ex

ex omnibus non reperi in ſanctitate inchoata, quæ inquam ſit conſtans in bono propoſito, nihil enim mutabilius muliere, tutior proinde habitatio cum læena, quam incircumſpecta converſatio cum muliere. Hæc tibi quidem optimè perſpecta ſunt, nihilominûs periculum non evitas, & quamvis toties monitus rubore id didiciſti, quinimo ultrò quæris familiaritates, frequenter cum illis confabularis,non rarò ſolus cum ſola ſine teſte loqueris, neſcio quas conteſtationes exhibes, munuſcula mutua offers, & acceptas gratulationes, non negligis, ſollicitudines inutiles pro illis geris; unde eſt ut de illa frequenter cogites, moleſtaris,dum non vides, tædio afficeris, dum non alloqueris; literas clandeſtinas tranſmittis. Vide quo vadis? attende quo progrederis, quo te inutilis hæc ducit amicitia. Diſcipuli Domini etiàm licite deſponſatas reliquerunt coniuges, ne illis impedimẽto fierent in opere Evangelico: Tu qui deſponſatus es agno immaculato, cui cordi ineſſe debet Zelus purus Animarum, cur te implicas periculoſis nexibus?

PUNCTUM TERTIUM.

IN medio mulierum noli commorari, monet Sapiens, Eccl: 42.
melior enim eſt, Iniquitas Viri, quam mulier benefaciens. Quantũ igitùr potes, fuge inutiles Cõverſationes colloquia non neceſſaria devita, notitias cum hoc ſexu nunquam ambias. Cum ex neceſſitate fæminam alloqueris, breviter rotunde, devote & cum gravitate Eccleſiaſtica id peragito, ut te revereatur; nunquam oſtendas aliquam teneritudinem affectûs verbo vel Scripto erga mulierem. In ipſis etiam ſacræ Confeſſionis arcanis, à delicatis, mollibus verbis abſtine, ſecurius enim judicant Doctores

ctores modicum ſeveriorem huic ſexui, quam nimis affabilem ſe exhibere, ne aliqua ſcintilla inutilis amoris proſiliat. Jocos aliaſve Jovialitates, quatumvis videantur honeſtæ, cum hoc ſexu ſacerdoti miſcere non convenit; inde etiam familiaritates, amicitiæ multum periculoſæ, Confidentiæ exceſſivæ ortum habent. Cum advertis in te inclinationem etiam ſine tua Cauſa erga aliquã mulierem, id enim in ſtatu naturæ corruptæ non infrequens eſt, illico magis cave ab iſta perſona, non ſolum alloqui, ſed nec cogitare de illa ſatage, oculos ab illa averte cum S. Jobo: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne unquam cogitarem de Virgine*: Tandem efficacius medium, ſalvandi ſe à morſu iſtius Leænæ eſt fuga. *Fuge dilecte mi, aſſimilare caprea hinnuloq; cervorum*, ad excelſa per orationem & cuſtodiam Cordis, velociter currentis ad ſolitudinem, niſi inevitabilis neceſſitas premat, non alloquaris mulieres, melius ut habearis pro barbaro, quam impuro. Cum autem id evitare non poteris, muni te timore DEI, in diſcurſibus miſce aliquid de pœnis gehennæ, flammisq; purgatorij, ſermonesq; civiles ſemper ad ſpiritualitatem contorquere ſtude, ut ita præſcindatur occaſio ad aliquas inutiles propenſiones.

Job 31.

CONSIDERATIO XXXIV.

De Obedientia.

PUNCTUM PRIMUM.

Philip: 2. CHriſtus *factus eſt pro nobis obediens uſq; ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus exaltavit illum.* Conſidera univerſum ſucceſſum miſſionis Unigeniti

Filij

Filij DEI in mundum dependisse ab obedientias; nisi enim mandatum æterni Patris de ponenda Anima perfectè impleviſſet, opus Redemptionis nequaquam peractum fuiſſet; *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longævum & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Factum eſt igitur, ut obedientiſſimus Dominus de quo in Capite libri ſcriptum fuerat, facere voluntatem DEI non ſolum libere ſed & promptè & hilaris diceret: *Ecce venio,* licet ad infamem Crucem exactè quo ad omnes circnmſtãtias à Patre æterno intentas rigoroſamq; obedientiam impleverit: Mandatum mihi dedit Pater ſic facio: quinimo non ſolum æterno Patri, verùm etiam iniquis Præſidibus imò & ipſis Lictoribus obedientem ſe exhibuit, unde factum, *ut ſicut per inobedientiam Unius hominis peccatores Conſtituti ſunt multi, ita per Unius obedientiam juſti Coſtituuntur multi-* Si tu inſigne aliquod pro gloria DEI optas operari, ſalutem animarum quam optimè promovere, eſto obediens. Hæc Virga reparavit mundum, ſicut inobedientia eundem perdidit. Illa virtus lucrabitur multas animas. Velut enim ovem Paſtoris vocem ſequentem aliæ turmatim ſequuntur. Sed ah quam paucos inveniſſes nunc Operarios, quibus hæc Apoſtolica imò ipſius Domini JESU virtus intimè Cordi ineſſet, plures inveniretur, qui Patri ſuo ſpirituali, à Domino DEO Conſtituto (omnis poteſtas à DEO eſt:) quantumvis non agatur de Cruce & vulneribus, nihilominus immorigeros, barbaros, inobedientes ſe exhibent, quinimò ô cæcitas deploranda! Contraria Superioribus ſuis agunt, pluraq; in barbam faciunt, juſſa inſolenter Contemnunt, non recordan-

Iſaiæ 53.

Rom: 5.

tur illius horribilis Comminationis, *non te ſpreverunt ſed me*, non ſperent tales refractarij auſpicatum fore laborum ſucceſſum, conſvetosq́; in Animabus producendos fructus; DEUS enim ſubtrahit illis gratiam particularem ad bene & fructuosè peragendam hanc functionem, ſicut ſe ipſi ſubtrahunt ab obedientia. Cogita hæc ſerio, & ſi tibi ſimilis inobedientiæ conſcius ſis, Confundere, & reformari ſtude.

PUNCTUM SECUNDUM.

Math: 8. *Habeo ſub me milites, & dico huic vade, & vadit, & ſervo meo fac hoc, & facit,* Verba ſunt Evangelici Centurionis; quæ Dominus maturè ponderans exclamavit: *Amen dico Vobis, non inveni tantam fidem in Iſraèl.* Tu quoq́; Iſraèlita es non carne, ſed ſpiritu; es enim de populo DEI electo. Poſſet ne DEUS tantam fidem in promiſſis quam deſpondiſti, in conſpectu totius Curiæ Cœleſtis in te reperire? an cum Superior dicit: Vade, vadis ne ex nunc? imperfectâ etiam litera prompte ne, hilariterne? ah quot forte murmurationes, ſibilationes, interpretationes, contemptus, Perſonæ & mandatorum interveniunt: non ſentis te in hoc reum? utinam non ſentires! Expende ultra facilem exitum prælij dependere ab obedientia militum, qui ad nutum & vocem Ducis aut Centurionis congrediuntur, bellant, aut etiam deſinunt, ſicq́; conſiderata potiuntur, Victoriâ; ſcito etiam te in miſſione ſeu campo ſpitituali cum dæmone mundo, & peccatoribus bella gerere. Conaris de illis triumphare, velles Creatori ſuo ſubjugare peccatores, eſto obediens usq́; ad mortem, ſecùs deſperata victoria.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

OBedite *præpoſitis veſtris*, quia ipſi DEO obeditis, cujus poteſtas in Superioribus elucet. In ſimplicitate igitur columbina ſine diſquiſitione; quæ vobis mandaverint, facite, non enim hominis ſed DEI ipsius voluntatem impleturi eſtis; Consilia, diſſvasiones, nolite ſuggerere, multo magis mandatis ſe opponere; Verùm ubi peccatum non apparet cæca quadam obedientia, ut olim diſcipuli uno verbo vocati: *Venite poſt me*, omnia dimiſerunt, plus enim valet apud DEUM humills obedientia, quam mille ſuperba & non raro ſolida Conſilia, mandata ſuperiorum, non tanquam ab hoc, ſed tanquam à DEO emenantia ſuſcipite, ſponſionis veſtræ recordamini, ſuſurrare, detrectare, vituperare, contradicere Prælatis; nec nominetur in vobis, quinimo in Spiritu Domini JESU, qui tanquam ad occiſionem ovis ductus per Sanctam obedientiam, duci vos permittite, recepturi Coronam vitæ. Mementote DEUM nunquam inultam promittere inobedientiam, quia per illam tangitur pupilla Oculi ejus. Exhibes te inobedientem, ſcito etiam à tergo ſequi te ultorem DEUM, ut te humiliet, reflecte te aliquantum ſuper hæc, & in te ipſo deprehendes veritatem. Hæbr: 13.

CONSIDERATIO XXXV.

De Moderatione Philautiæ ſeu Amoris proprij.

PUNCTUM PRIMUM.

ORdinavit *in me Charitatem*, exultavit quondam in Spiritu ſponſa, nihil enim opdroſitùs quàm amorem maximè proprium ad leges honeſtatis ritè accommodare Cant: 2.

qui

qui utpotè cæcus facile impingit ut mors, per abrupta quoq; ſuum intentum exequi conatur, Imò juxta Divum Auguſtinum, ipſe eſt fons & origo malorum & paſſionum, ideo etiam gaudemus, quia aſſecuti ſumus quid concupieramus, ideo triſtamur, quia illud negatur quod amamus, & ſic de cæteris. Ipſe in omnibus etiam Sanctiſſimis Operibus ſuum commodum ſollicitè, & quidem ingeniosiſſimè depingit, ut oculatiſſimus quandoq; vix diſcernat agatne ex motu gratiæ vel amoris proprij, ut etiam ſuæ cuticulæ ſatisfaciat, dicit id exigere Commoditatem in DEI ſervitio, varios languores & infirmitates imaginatur, quia ab auſteriore abhorret vita, veſtitum non vulgarem exquirit utpotè honeſtati ſtatûs correſpondentem. in cibo & potu ſatisfactionem ſub prætextu vires conſervandi pro gloria DEI dilatanda, vanam gloriam ſui æſtimationem intentè appetit, placere omnibus ſtudet. ſub pallio plures lucrandi animas, verbo nulum velle pati in commodum, ſenſibus indulgere, ad oſtentationem agere, in omnibus ſibi adulari, amoris proprij artificium, qui excæcatum incautum ſenſu, reducit à via illa arcta & anguſta,quam Dominus JESUS calcavit per quamve pauci tranſeunt; & deducit in latam & ſpacioſam, per quam plurimi præcipites corruunt. Hinc insignis eſt ars ſcire moderari hunc amorem: Qui quo nobis intimior, eò periculosior eſt.

PUNCTUM SECUNDUM.

Joan: 12. QUi *amat animam ſuam perdet eam* inquit Dominus, id eſt in ordinatè & immoderatè quid ſuperabundè in ſe expertus pijſſimus ille vir ingenuè de ſe confeſſus: *me malè amando perdidi* navis quæ Expanſis

velis

velis permittitur vi ventorum abripi, quocunq; flaverint, facillimê incidet in charybdim; pari ratione vir ſpiritualis ſe conferens quocunq; venti amoris proprij impulerint, gravi patebit ruinæ, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt, monet Sanctiſſimus Magiſter, at amor cæcus eſt, noli fidere fallaci ductui, quia decipieris. Perijt fortiſſimus Samſon credens Dalilæ perdidit oculos miſereq; ſe ipſum interemit; Vide & tu amore proprio excæcatus, ne fortè pereas. Sed videamus genium amoris proprij, quis callidus eſt ideo multos decipit; Jlle eſt, qui ſe ſemper quamvis occultiſſimê pro fine habet, ex eo id collige, cum aliqua functio non ſuccedat ad votum, non aſſequeris, quod optaſti, illicò turbaris, angeris, vides quomodo te ipſum propriumq; amorem & honorem, æſtimationem, non purê DEI gloriam pro fine habuiſti. Ipſe ſuperari ab alio nequaquam patitur, ſubeſſe unicuiq; à DEO Conſtituto renuit, quinimo non ſatis idoneum, ſuperbè judicat; honorem & reverentiam avidiſſimè captat, confuſionẽ etiam minimam ceu infernum abhorret. Vix aliquantum laborat, illico otium & quietem corporalem quærit, ac ſi laboribus jam conſumptus eſſet, habere curioſa, nova, pulchra, & pretioſa ſtudioſe quærit; viliora groſſa & antiqua refugit, at ſi offerantur triſtatur, & murmurat. Jlle libenter apparet in publico, ut pro erudito, diſerto habeatur, non erubeſcit interrogare quem dicunt homines Filium hominis Jeremiam nè aut unum ex prophetis. Jlle gaudet de amicis multis, converſationes cum Jllaſtribus Perſonis quærit, familiaritates cum Magnatibus init, agnoſci & agere deſiderat, unde laus & admiratio procedit; unde fit, ut ſicut Columba ſeducta,

non habeat cor ad DEI ſervitia,utinam non abſolutè excidat. Robuſtiſſimus Virorum Siſara dulci lacte ſopitus in opinatè perijt, lac dulce videtur, quod tibi propinat inſanus quia immoderatus tui ipſius amor, ſi ipſi in omnibus annuis, vide ne tibi fiat toxicum.

PUNCTUM TERTIUM.

QUi odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam, at quomodo odiſſe poſſumus, cum ſit primus ſui ipſius amor? taliter eſt ordinandus, ut videlicet plus DEUM ipſiuſq, gloriam, ſalutem animæ tuæ diligas, quam omnes mundi honores, apparentias, dignitates, nominis celebritatem, eruditionem &c. Imò ſi hæc ſine offenſa DEI, jactura virtutis receſſu à perfectione haberi nequeant, potius ſunt ejuranda, ut DEI amor, & virtutis ſtudium detrimentum non patiatur. 2. Anima noſtra prorſus tanquam per canales in bona ſenſibilia effunditur, hinc illis ſerio invigilandum, ne à regula virtutis lato etiam ungue diſcedatur, non cupias veſtiri, niſi quatenus obedientia & conſvetudo ſtatui permittit; non appetas menſas opiparas, cibos exquiſitos, niſi quantum ad ſuſtentationem hominis neceſſe; non velis apparere niſi ut DEUS glorificetur. Non agas quidquam quia tibi placet, verùm quia DEO placet, illudq; tibi concedit. 3. Non crede ſuggeſtionibus naturæ, aliquando enim ſub prætextu neceſſitatis, amor proprius ſuam quærit ſatisfactionem; hinc non convenit viro ſpirituali nimium anxium eſſe de ijs, quæ ad ipſum ſpectant, imò nec de valetudine conſervanda nimium ſollicitum,verùm omnia moderanda voluntatis Divinæ beneplacito 4. Amor proprius ſæpè inclinat ad illicita, appetit in omnibus ſibi

ſatis-

ſatisfieri, hinc mortificationi ſtudere, ſibi non adulari, ſe ipſum negligere, imò contemnere, paupertatem colere, puram intentionem in agendo præferre egregium contra amoris inordinati ſtimulos remedium.

CONSIDERATIO XXXVI.

De Exinanitione ſui ipſius.

PUNCTUM PRIMUM.

EXinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. Obſtupeſcite Cæli! infinitæ gloriæ Dominus Unigenitus, ſummi DEI, Figura & Imago ſubſtantiæ ejus, tam abjectam paupertatem, imò deſpectam eſt amplexus vitã, quamq; ſecundum mundi ſenſum infami concluſione affixam in Ligno Crucis terminavit. Cur non potius in Maieſtate magna Mundo apparuit? cur non ſtipatus Angelorum legionibus? cur non in gloria ſuæ Excellentiæ commenſurata? mundus qui apparentijs rerum agitur, citius recognoſceret glorioſum, quam humilem; facilius ſe ſubderet potenti quam indigenti, expeditius crederet Filium DEI lucentem ſolio, quam reclinatum ſordido in præſepio. *O! al-* Rom: 11.
titudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, quam

incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! In comperto eſt ad reparandum mundum tantæ exinanitionis medium, non fuiſſe omnino neceſſarium: verùm ut ſuos in opere Animarum ſalutis inſtrueret Succeſſores, ſi digni cupiunt in hac ſalutis ſpartha evadere Operarij, non debere ſpiritu mundi regi, illudq; quod mundus ſummè æſtimat, pro nihilo reputare, quod ille pejus cane, ut contumelias, contemptus, deſpectus &c. deteſtatur minimè abhorrere: quinimò appetitum inordinatum, ad honores, officia, gloriam nominis, apparentias, plauſus, penitùs exinanire, obtrectationes verò calumnias, invidias non æſtimare, nec timere illorum inſultus, à benecæptis non deſiſtere, animante nos æterna Veritate: *Nolite mirari ſi Mundus vos odit,*
Joan: 15. *ſcitote quia me priorem Vobis odio habuit.* Et profecto ſi à viris Apoſtolicis reſpectus calumniarum, obtrectationum, perſecutionum haberetur, nihil dignum ab ijs in Cura ſalutis Animarum actum fuiſſet; & ut omittam ſexcenta exẽpla, ipſe Dominus JESUS ſi Crucem abhorruiſſet, illos contemptus, illuſiones, opprobria, convitia, infamiam, nulli in Mundo comparẽ, declinaſſet, nequaquã ſuppoſito præſenti decreto

genus

genus humanum reparatum fuiſſet. Vide quomodo Vir Apoſtolicus minimè talia curare debet; quinimo ad quascunq; detractiones, morſus, malevola ſpicula, inſenſibilis reddi, quantumvis vel totus infernus contra ipſum inſurgat, agat quod debet, perficiat, quod cum prudentia & prius Conſulto DEO inchoavit, ſolius DEI gloriam & fructum animarum præ Oculis habendo, memor illius Conſolationis à Domino Jesu relictæ: *Beati eſtis cũ maledixerint vobis.*

PUNCTUM SECUNDUM.

COnſidera iſtam exinanitionem Viro ſpirituali eſſe apprimè neceſſariã, ad conſequendam illam pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, malatiam, quietem, & tranquillitatem internam, qua tantummodo exinaniti, & planè ſibi mortui, in hac vita fruuntur. Quid enim nos miſeros toties perturbat, & velut maris undas commovet, non aliud certè, niſi quod affectus noſtri inordinati ad creaturas & ad nos ipſos nondum ſunt exinaniti, non expoliamus veterem hominem, cum actibus ſuis, hinc fit, ut levi non raro ſuperbiæ, invidiæ, timoris, triſtitiæ terribiliter jactemur vento; non conſequimur officiũ quo nos dignos judicamus, & ecce

turbatio; non tractamur ut nobis imaginamur, & ecce anguſtiæ; tranſit ad alios quod nobis deberi æſtimavimus, & ecce deſperamus; non ſucceſſit Concio imò tota Miſſio, ut nobis pol. licebamur, quinimo pro laude & vano plauſu vituperamur, ab officio cui tenatiùs adhæreba. mus amovemur, quot ſuſpicionũ amaritudinũ agitamur procellis: vere non exinanitus ſpiritu. alis, mare fervens quod quieſcere non poteſt. O ſi cum Paulo omnia ut ſtercora arbitraremur! o ſi Mundum cum omnibus pompis ejus ſub pedibus haberemus! o ſi omnia creata pro nihi. lo reputaremus! o ſi nos ipſos vere deſpicere. mus, quanta pace interna perfrueremur. Do. mine JESU non eſt iſte ludus parvulorum, nec unius horæ opera, doce me, ut per veram exi. nanitionem, humiliationem & abnegationem inveniam requiem animæ meæ.

PUNCTUM TERTIUM.

COnſidera media ad hanc exinanitionem tibi apprimè neceſſariam opportuna. 1. Se ipsũ vere deſpicere ut unum pulverem, eſcam vermium, ſaccum ſtercorum, æſtimare, adeoq; nihil ſibi deberi. 2. Honores, titulos, famam, reputationem, ſcito vana nomina Catonum,

adeoq;

adeoq; contemnenda esse, omniaq; quæ mundus æstimat, provili, nihilo, prout verè sunt reputare. 3. Calumnias, convitia, detractiones, & quæcunq; alia mala, modo illis causam non dederis, velut sonum in deserto clamantis, qui neminem ferit Considerare; multo minùs dum malitiosè contra te confinguntur minimè apprehendere. 4. Sola æterna æstimare, præsentia omnia ut caduca, ut larvas oculos miserorum mortalium infascinantes judicare. 5. Soli DEO Corde placere. 6. Ad studium profundissimæ humilitatis & abnegationis serio se applicare. Tandem ferventissimè Domino DEO supplicare, ut tibi ingerat fastidiũ terrenorũ, ut cũ S. Ignatio dicere possis: sordet terra dũ Cælũ aspicio.

CONSIDERATIO XXXVII.

De Diffidentia sui ipsius.

PUNCTUM PRIMUM.

Sine me nihil potestis facere. Considera Dominum JESUM monuisse suos Discipulos, ne se extollerent, aut quidquam sibi adscriberent, cum viderent sibi dæmonia subijci, peccatores & publicanos turmatim ad pœnitentiam con- Joan: 15.

verti

verti, languores & morbos à se curari; ista enim opera, cum sint supernaturalia, sine Divino speciali auxilio nullomodo solis viribus naturæ perfici possunt. Sit instrumentum aptissimũ, exquisitissimum, omnibusq; numeris absolutũ, ipsud tamen solumnon sufficit ad Opus intentum; necesse est ut à causa principali moveatur, applicetur, priusquam instruatur; Ita Operarius Evangelicus, qui est instrumentum Providentiæ Divinæ in Cura Animarum, etiamsi videatur dexter, activus, disertus, Zelosus, eruditus, talentis egregijs instructus & fere ad Functiones Apostolicas natus nisi à DEO adjuvetur, auxilijs supernaturalibus foveatur, cælitus illustretur, nihil proficiet suæ industriæ & activitati confisus. Prodijt cum certa spe victoriæ ad *debellandum* Goliath, suo robori, lanceæ, loricæ cæterisq; armis confisus, nihilominùs, & victoriâ privatus est, & caput amisit. Prodijt David in Nomine Domini Exercituum, & glorioſum reportavit triumphum; sic superbientes confidentesq; propriis Talentis, plus perdunt quàm acquirunt. Vere hic servit illud Davidis: *Nisi*

Psal: 126. *Dominus ædificaverit Domũ, in vanũ laboraverunt qui ædificant eam*, eò quod vires naturales sibi

relictæ

relictæ non sunt proportionatæ ad Opera supernaturalia.

PUNCTUM SECUNDUM.

DEus operatur omnia in nobis inquit S. Apostolus; Ergo frustra extollitur, qui putat se aliquid posse, sine DEO circa salutem animarũ. Educturus Populum Israêl Moyses de Ægipto, imparem se sincerè reputavit tanto muneri & oneri, prout defacto fuit; hinc opus fuerat singulari providentia, columnâ ignis quæ luceret per noctem, alijsq; portentis admirandis. Simili ratione, qui eruere conantur Populum DEI de Ægypto Mundi & peccatorum, ad tantum opus, impares, nec potentes idoneè loqui, talentisq; necessarijs se judicare destitutuo debent. Salus Animarum Opus Divinum est; Divinô auxiliô ad illud perficiendum est necesse, Cura Animarum est ardua, sola natura ipsi non sufficit. Sed esto? habere te insignia talenta, quibus inflaris, Eloquentiam ad concionandum, dexteritatem miram ad agendum cũ Proximo, aliasq; similes qualitates ad lucrandas Animas Peccatorum; cæterum nisi tuis operibus speciaLiter assistat DEUS, scito te nihil boni effecturum. Organum sit Venustissimum, ad Sonos

Muſicos inſtructiſſimum, niſi tamen ab alio inflетur, non edit vocem, aut ſi inflетur, & ab ignorante tangatur, edit quid ſonum ſed diſſonum, ſine modulo & delectatione aurium. Ita Operarius Evangelicus ſuis talentis innixus; clamabit, affectus varios exhibebit, illi tamen minimè movebuntur, niſi DEUS corda auditorum tangat. Quinimò illius Conciones cum nauſea audientur, ſollicitudo, Induſtriæ, circa animas erunt moleſtæ. S. Franciſcus dicturus Concionem coram Summo Pontifice & Cardinalibus cum eam pro poſſe ſuo elaboratè compoſuiſſet ſuoq; labori paululum confidiſſet, dū pulpitum aſcendit, totiusq; oblitus, nec verbū pronuntiare potuit. Confuſus Franciſcus videns humanas induſtrias nihil valere, ad DEUM cor elevavit, tunc primùm cæpit ad ædificationem & ſatisfactionem prædicare. Vides igitur diſertiſſimum Concionatorem nihil efficere, niſi DEUS corda moveat. Errabit multoties Doctiſſimus Confeſſarius, inſulſas Reſolutiones, Conſilia ſuppeditabit, niſi à DEO juvetur, & illuminetur quia *omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

2. Cor: 3.

PUNCTUM TERTIUM.

COnſidera media ad hunc finem opportuna.

1. Fundare ſe in hac maxima, quod ſine DEO circa Salutem Animarum, aliave ſupernaturalia opera, ſolis viribus naturæ nihil poſſis, alias Pelagianiſmum redoleret. 2. Ut fructuoſus ſit labor tuus humiliare te debes coràm Domino DEO & ingenuè fateri ineptum & inſufficientem te eſſe. Hinc Concionaturus, Confeſſiones auditurus aut alias ſimiles actiones exerciturus, confuge ad DEUM; Gratiam, auxilium, pro te & pænitentibus implorando. 3. Incumbere humilitati, quæ nos ipſos deſpicere, contemnereq; docet. Talenta ſi quæ tibi DEUS donavit, in te ipſo reperiri non cognoſcas, imò te ipſum quantum in te eſt ad tantas functiones pro inepto reputare. Quod ſi tibi ſuboriatur aliqua complacentia de talentis, dexteritate dic tibi Ipſi, ego forté amore proprio eluſus ipſe mihi adſcribo, alij verò ea in me non vident, niſi plurimas imperfectiones & inhabilitates.

CONSIDERATIO XXXVIII.

De Fiducia in DEO.

PUNCTUM PRIMUM.

OMnia poſſum in eo qui me confortat. Certum Philip: 4.
eſt ut

eſt ut expendimus nos nihil poſſe ſine ſpeciali auxilio DEI in ordine rerum ſupernaturalium, tum per improportionem virium naturalium ad ſupernaturales effectus, tum ob defectum talentorum requiſitorum, vel ſi aliqua adſint ob multitudinem peccatorum, & defectuum noſtrorum, quæ obicem ponunt ad fructuoſe laborandum circa ſalutem Animarum, nihilominus animus deſpondendus non eſt etiamſi videamus paupertatem noſtram, & inſufficientiã ad tantum opus ſalutis humanæ procurandæ, ſi enim Dominus DEUS nobis aſſiſtat (cui non eſt grave ex omni ligno facere Mercurium impolitiſſimisq; lapidibus ſuſcitare Filios Abrahæ) & obedientia applicetur, Confidere in DEO debemus, illum nobis ſemper affuturum, auxiliaturum, & Confirmaturum, ut poſſis dicere, in DEO meo transgrediar murum. Quis unquã dixiſſet aliquos paucos idiotas illiteratos, impolitos, rudes, & inermes, potuiſſe Reges potentiſſimos, Philoſophos ſubtiliſſimos, Oratores diſertiſſimos, Chriſti ejusq; doctrinæ mundo & carni e diametro oppoſite ſubjugare, & tamen id præſtiterunt Apoſtoli, qui quantumvis ex ſe inſufficientes erant, accepto tamen Spiritu

Sancto,

Sancto, ejusq; gratia illustrati & repleti, glorio-se Universum Mundum Evangelicæ veritati sat ardue subjecerunt. Non desperes & tu ob exi-litatem, quam tibi adscribis talentorum ad Con-cionandum, Confessionibus vacandũ, docendũ, si à DEO vocaris à superioribus applicaris ha-be fiduciam in DEO, omnia bene ad ipsius gloriam cessura, dedit esse, dabit & Consequen-tia ad esse. Quinimo cum vani timores insur-gunt te non esse sufficientẽ ad excipiendas Con-fessiones, aut alias functiones obeundas, dic cũ Psalmista: *Dominus Adjutor meus & Protector meus in ipso speravi.* Psal: 27.

PUNCTUM SECUNDUM.

*CO*nfidite ego vici Mundum. Considera cũ Do- Joan: 16.
minus Apostolis prædicaret futuras perse-cutiones, de Synagogis ejectiones, flagellatio-nes, quas passuri erant propter Verbum DEI & testimonium JESU Christi, omnes animo cade-re incepisse; quos videns Magister Sanctissimus tanquam ad Anchoram tutam, ad fiduciam in DEO Collocandam eos admonet. *Confidite.* Successores sumus Apostolorum, paratos nos esse oportet ad similia flagella. Cum igitur ad Missionem progredimur, plures erunt qui se

nobis opponent, Labores nostros contemnent, de illis siniſtrè loquentur, privatim & in publico carpent, traducent; quid hic agendum Operario, totum ne relinquendum? absit; imò nullo modo cedendum malis, quinimò in DEO confidendum, quod ipse tanquam Author hujus operis, illos metus sedabit, efficietq; ut illi male contenti resipiscant, perpensisq; benè laboribus nostris, eos approbent fructúq; referant. Confidite igitur potentior est DEUS, quam omnes Adversarij nostri, imò quã totus Mundus & infernus; si ergo DEUS pro nobis, qvis
Psal: 144. contra nos? *Custodit Dominus omnes diligentes se*, insurgant igitur nescio quales in Missione oppositiones, illis cedendum non est, imò svaviter & patienter tolerandæ, nec desistendum *ab* incepto opere; etiamsi una Anima tantum fructum reportatura esset, Invectivæ non faciendæ contra Adversarios, sed omnia humiliter sustinenda, imò ita dissimulanda, ac si nobis nulla irrogaretur injuria, Adversarium benignè alloqvamur, signa honoris & æstimationis ipsi ex corde exhibeamus, DEO eundẽ Commen-
Psal: 117. demus in reliquo, *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.*

PUN.

PUNCTUM TERTIUM.

COnsidera media ad hanc virtutẽ servientia. 1. Considerare Dominũ DEUM, esse Patrem, Creatorem & Gubernatorẽ nostrum; ergo firmiter tenendum istis omnibus titulis paratũ esse, ad nobis subveniendum. Pater non obliviscetur Filiorum, Dominus defendet servos, Creator non derelinqvet Creaturam, Gubernator & Conservator proteget suos subditos. 2. Persvadendum sibi sine permissione Divina totũ infernum nobis minimè nocere, Et si duo passeres qui asse veneunt, unus ex illis non cadit in terram, sine Patre Cælesti, multo minùs nobis timendæ sunt quæcunq; adversitates, cum multis passeribus meliores sumus nos. 3. In difficultatibus recurrendum ad DEUM per Orationem, quæ cum fiducia conjuncta esse debet. 4 Habere in promptu Orationes Jaculatorias, uti sunt. *In Domino Confido &c. Si Consistant adversum me Castra &c.* 5. Curare per Amorem Domino DEO intimè conjungi, & DEUS suos non deseret. 6. In omnibus ejus gloriam quærere, certè ipse nec usurpare nec impedire illam ulli dabit. 7. Reponere se fiducialiter & filialiter in manibus Domini DEI, nullibi

enim

enim nos locare ſecurius poſſumus, qvam in ejus tutela, cui omne genu curvatur, qvi eſt potentiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, cui nemo reſiſtere, aut rapere de manu ejus confidentes in ſe poteſt, dicamus ergo: In te Domine ſperavi; non confundar in æternum.

CONSIDERATIO XXXIX.

De Conformitate cum Voluntate Divina.

PUNCTUM PRIMUM.

NOn *mea, ſed tua voluntas fiat*: orabat Dominus JESUS cum ſangvineo ſudore perfunderetur, cum illi Crux, lancea, clavi, flagella, mox ſubeunda repræſentarentur, cum tot ignominias, contemptus, opprobria, ante oculos haberet, cum amariſſimus paſſionis Calix potandus offerretur; poſtquam enim agnovit voluntatem DEI Patris, ut hæc omnia pateretur, libenter eſt eam amplexus dicens: *non mea ſed tua Voluntas fiat* idq; cum tali reſolutione, ut amplius non paveret, mæſtus non eſſet, verùm hilariter voluntati DFI Patris ſe in Sacrificium obtulit. Diſce hic quomodo omnia adverſa, ipſam etiam mortem, tanqvàm à voluntate DEI deſcendentia ſuſcipere: Diſce. 2. Si vis ab inutilibus mæroribus & turbationibus internis non opprimi, cogita ſine DEO permittente, ejuſq; Providentia & Conſilio, nihil in mundo fieri poſſe, quinimo ad ſedandas quaſcunq; cordis anguſtias quæ non rarò accidunt, vel qvod non ſucceſſerit aliqua functio, vel

Lucæ 22.

quod

quod contemnamur, deſpiciamur, humiliemur, vel quod linguis malevolorum perſtringamur, non eſſe aliud medium efficacius. quam de manu DEI iſta ſuſcipere, & non ut ab homine, ſed ut à DEO emanata, qvi tanquàm optimus, amantiſſimus Pater novit benè qvæ filijs ſuis ſunt neceſſaria & magis utilia. Ita fecit pijſſimus David cum malediceretur à Semei, quam maledictionem non imputabat Semeo, verùm tanqvam à Domino DEO oblatam ſuſcepit, *Dominus præcepit maledicere Semei*. 2. Reg: 16. Cum & tibi ad guſtum aliqvid non acciderit, quia vg: iniuſtè vexaris, humiliaris, confunderis, ob quietem cordis acquirendam dic coram DEO tuo: Tu Domine præcepiſti ut ita fieret, tu voluiſti, tu permiſiſti, *bonum mihi quia humiliaſti me*; & ſpera brevi tibi affuturam de cœlo Conſolationem, ſicut Dominum JESUM poſt illam Heroicam resignationem Angelus eſt conſolatus. Pſal: 118.

PUNCTUM SECUNDUM.

Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo & in terra. Ore qvidem in dies profitemur, ſed factis negamus, cum nobis proſpera & ad mentem eveniunt, cum honoramur, extollimur, actiones noſtræ approbantur, tunc liberè nos ſubijcimus voluntati Divinæ, aſt cum aliqua minùs grata accidunt, ah qvam amaro animo ea ſuſcipimus; ſed qvàm erramus. Expende o Anima! per hanc renitentiam Domino DEO ignorantiam appingimus, ac ſi neſciret qvæ magis nobis expediunt, eò quod talia in nos permittat. 2. Arguimus Ipſius circa nos Sanctiſſimam providentiam, ac ſi nos non benè gubernaret. 3. Cum ſimus nihili, reſiſtimus Domino DEO, qui nos ut formicam poſſet conterere. 4. Spoliamus nos meritô cum reprobo illo latrone, Matth: 6.

ob Crucẽ à DEO immiſſam nó patienter obeudo. 5. Charitatem quæ maximè in conformitate voluntatis noſtræ cum Divina conſiſtit, extingvimus. 6. Perfectionis Chriſtianæ nec ſcintilla in nobis apparet, immergimus nos tot cordolijs, inquietudinibus, quæ multorum peccatorum occaſio eſſe poſſunt, inutiliter nos conſumimus, ſive enim nolimus ſive velimus, qvid quid immiſerit DEUS tollerandum eſt æqvanimiter, propter noſtrum igitùr bonum inſiſtendum eſt in omnibus voluntati Divinæ, mitteris ad illam Parochiam libenter te offer ad iſtum Superiorem non ſis acceptor Perſonarum: applicaris ad hoc officium, illam functionem, ſubde te diſpositioni Divinæ; ubiq; & in omnibus DEUM reperies, ſecùs nunqvam pacem habebis, verùm in Corde tuo ut in Inferno erit fletus & ſtridor dentium, inqvietudo, cogitationes deſperabundæ, etiam vocationis neglectus. Qvidam vir Apoſtolicus mittebatur à Superioribus ad quandam maris Inſulam nimis remotam; putabant aliqvi à tam longo itinere, innumerabilibus periculis ſe excuſatum iri; Iſte ſubridens quæſivit? Eſtne ibi DEUS? Reſponſum. eſt. Profectò, (adiecit:) hilaris ergo lubensq; vado.

PUNCTUM TERTIUM.

COnſidera media ad dictam conformitatem ſervientia: Statuere ſibi ob oculos Exemplum Domini JESU, qvi venit in mundum, non ut ſuam, ſed ut DEI Patris voluntatem adimpleret, quam etiam fideliſſimè executus:

Philip: 2. *Factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis* Ignonimioſiſſimam. 2. Considera illam conformitatem eſſe, mel ſpirituale, quo dulcorandæ ſunt omnes amaritudines hujus vitæ, adeoq; frequenter lambendum.

3. Æqua-

3. Æqvanimitatem Jobi induere dicendo resolutè, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* 4. Cogitare sine DEO saltem permittente qui est infinitè sapiens, nihil fieri posse: quis ego sum, qvi illi contradico, 5. Confidere in Domino DEO, tanquam amantissimo Patre qvid qvid permiserit illud in bonum & utilè nostrum ordinavit. 6. Studere Perfectioni maximè sibi vim inferendo, cum huc, illuc mittimur etiamsi non ad gustum nostram voluntatem DEI in hoc amplectendo. Tandèm uniamur Domino DEO intimè per Charitatem, & omnes ejus circa nos dispositiones, fient nobis suaves. In adversis recordemur illius Dominn DEI effati: *ego, quos amo castigo.* Apoc: 3. Habere ad hoc propositum Jaculatorias orationes, easq; in necessitate rècitare. Ad extremùm indifferentiam colere, exuendo se ab omni affectu ad locum, Officium Personas, imò ad quamcunq; Creaturam, imò totaliter nos Divinæ Dispositioni consignemus, dicendo cum propheta: *In manibus tuis sortes meæ.* Psal: 30.

CONSIDERATIO XL.

De Sanctitate operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM

Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Considera, Levit: 11. Dominũ DEUM tuum, hominem creasse, ad imaginem & similitudinem suam, at imago, debet esse, conformis Prototypo, secùs monstrosa esset, si ipsi non assimilaretur, & tu homo es, idq; specialiter deputatus, & Consecratus, ad cultum Divinum promovendum, Sanctum te ergo, esse oportet, sicut Dominus DEUS Sanctus, id est purissimus, mundissimus, ab omni peccato; & profecto, si qua virtute Ornatus esse, debet operarius Evangelicus; certè hac

ſanctitate. Ipsi enim, in miſſione, agendum eſt, contra peccata, quomodo id præſtabit ſi ipſe inventus fuerit ſervus peccati, ipsi incumbit à mundo, peccatis, & dæmone avertere homines; & ad DEUM convertere, qvomodo id efficiet, qui ipſe amicus peccatorum, & inimicus Dei exiſtit. Ipſius eſt mundiſſimo, & Sanctiſſimo ſangvine Chriſti lavare animas peccatorũ, per applicationẽ Sacramentorum, prædicationem verbi DEI, valebit ne ad id præſtandum, ſi ipſe inventus fuerit ſordidus peccator, ac pedibus ſuis conculcans ſangvinem Chriſti, poterit ne diſſvadere peccata, qui vel ad eadem affectus, & ejus implicatus tabeſcit, non ſperet miſer operarius, ſe quidquã boni effecturũ, quẽ ſarcina peccatorũ premit; propter peccatũ unius operarij, permittit, ut tota miſſio ſine benedictione; ſine fructu tranſeat. Cave ne tua peccata, ſint cauſa hujus infelici-
Sap: 14. tatis. S. Vincentius maximê cõmendavit puritatem cordis, tanqvam medium ad convertendas animas neceſſarium, illi & tu ſtude, evades ſecundum Cor DEI, operarius.

PUNCTUM SECUNDUM.

O *Dio ſunt DEO impius & impietas ejus* Expende hæc verba diligenter, & totus contremiſce: Peccas miſer Sacerdos, illico DEUS, contra te concipit odium, ah qvantum malum! DEUM tibi offenſum habere, qvi te eo inſtanti, qvo in peccatum deliberatè conſentis, in infernum præcipitare poteſt, dæmonibus in cruciatibus æternis aſſociare, à beatitudine Cœleſti æternum excludere te, velut canem impudicum qui in oculis Domini DEI, non erubeſcis peccare, ad caulam infernalem propulſare. Avertit à te ſuos benigniſſimos oculos, & velut canem putridum à vermibus ſumtpum torridè, fætentem deteſtatur,

gratiam

gratiam ſanctificantem ſubtrahit, jus ad gloriam Caleſtem aufert, opera tua in peccato peracta, uti mortua, fædata, labe peccati, velut Caimi ſacrificia, non acceptat, age quod vis, prædica, diligenter circa animas labora, iſta omnia non ſunt grata Domino DEO, quem ingratus offendiſti, qvem audacter Contempsiſti, quem ſupremũ Dominum infinitæ dignitatis, uni viliſſimæ voluptati poſtpoſuiſti; hæc conſiderans ad huc ne peccabis? deteſtare ex corde delicta, & in Spiritu Filij prodigi Lachrymas uberes fundens, deprecare Amantiſſimum Patrem, & in poſterum firmiſſime cum S. Anzelmo Zeloſiſſimo ſalutis humanæ Procuratore ſtatue, malle te in inferno demergi quam, peccatum mortale Committere, alias ſi ita excæcatus eſſes peccato, ut ab illo abſtinere nolis, ſcito te futurum habitaculum dæmonum; Spiritus Sanctus, Cuius aſſiſtentia maximè eſt neceſſaria, cum circa animas laboramꝰ, ſubtrahet ſe, nec habitabit in Corpore ſubditi peccatis.

PUNCTUM TERTIUM.

Quaſi à facie Colubri fuge peccata; diligenter occaſiones peccati vitando, ſemper ſibi attendendo, nec ſe ingeredo talibus locis, Converſationibus, occupationibus, in quibus conſcientia, vim pateretur. 2. Sibi nimium non fidere, verum orare Dominum DEUM, ut te præſervet & potius mori, qvam lethaliter peccare permittat. 3. Considerandum Dominum DEUM graviùs offendi peccatis Sacerdotum, quam ſæcularium, quia hi non raro, neſciunt, qvid faciunt, at ſacerdotes, qvorum eſt avertere populum à peccatis, & DEO reconciliare, certe non excuſabuntur. 4. Concipe odium contra peccatum, tanqvam omnis mali, tam ſpiritualis quam temporalis Eccl: 21.

fontem, munireq; se firmissimo proposito, velle se potiùs millies mori, quam uno peccato gravi offendere DEUM. 5. Cum insurgunt tentationes strenuè illis resistere, ad DEUM, ne nos inducat in tentationem, recurrere. 6. Sensuum mortificationi studiosè insistere.

CONSIDERATIO XLI.

De Custodia Cordis.

PUNCTUM PRIMUM.

Prov: 4. *OMni Custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Considera monitũ illud S. Spiritus, non solũ viro Spirituali verũ etiam cuiq; Christiano Homini, si peccata, quæ occidunt animam, vitare cupit, si ad puritatem Conscientiæ, quâ nihil in hac vita jucundiùs, & beatiùs, haberi potest, aspirat, tanquam medium efficacissimum, tenendam esse cordis Custodiam. Ex corde enim inquit Salvator procedunt Cogitationes malæ, id est inclinationes, ad homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias. Cor est multarum Cogitationum fons & origo tentationum, ipsum est Seminarium propensionum ad inhonesta, & illicita, nisi igitur diligenter custodiatur, comprehendetur in desiderijs suis, laqueis suis se innodabit,

innodabit, & velut Samſon excæcatus propriis manibûs, ſe perimet. Monuit Salvator Mundi Diſcipulos, ne irruente cum Proditore in Hortum Gethſemanium, turbâ impiâ obdormirent, quinimò vigilarent, & orarent, at ipſi neglexerunt, Somno & quieti ſe dederunt, quid factum, nec Magiſtrum ſuum defenderunt, ſibi vix turpi fugâ, ne comprehenderentur conſuluerunt. Hæc deploranda mutatio evenire ſolet, cordi minus cuſtodito, invadunt illud tot turbæ tentationum, deſideriorum inutilium, inclinationum ad objecta quandoq; fœda, & niſi hic omnis poſſibilis adhibeatur diligentia, maximè cũ proniſſimi ſint ſenſus Hominis, in malum ab adoleſcencia, brevi à DEO & virtute deficiet. Securitas Caſtrorum dependet ab excubijs, Salus Animæ, Integritas Honeſtatis, nitor Conſcientiæ, à Cordis cuſtodia. Si perfidus miles, ab excubijs ſe ſubtrahit, irruunt hoſtes, invadunt Caſtra, trucidant incautos, iã perdida anima eſt, Hoſtibꝰ Spiritualibꝰ in rapinam tradita, ubi deficit Cordis cuſtodia.

PUNCTUM SECUNDUM.

CUm dormirent Homines, venit Inimicus & ſuper-ſeminavit Zizania. Matth: 13. Expende diligenter

hanc

hanc Parabolam, Paterfamilias triticô ſelecto, ſeminavit agrum, quod cum ſuccreſcere inci. peret, longé plura apparuere Zizania, quo au. dito contriſtatus Paterfamilias, ſpem uberioris meſſis planè amiſit. Sed quæ cauſa tanti de. trimenti? Incuria ipſius Patrisfamilias, indulſit Somno cum Domeſticis, cum dormirent Ho. mines, Cuſtodes non adhibiti, non mirum, tan. tum malũ eveniſſe, nec alia Ratio tot defectuũ, imò & Peccatorum gravium inter ſpirituales, etiamſi tot ſelecta grana, ex Lectionibus, Me. ditationibus, Examinibus in corda Ipſorum à Spiritu Sancto injciantur, quia dormiunt, quia nulla cordis Cuſtodia, permittuntur Variæ Co. gitationes, phantaſmata periculoſa per cor tran. ſire, nulla Reſiſtentia Suggeſtionibus, nulla vi. olentia pravis Affectibus, hinc fit ut plurima peccatorum Succreſcant Zizania: ſit vas pre. tioſiſſimo liquore repletum, niſi diligenter ope. riatur, plurimæ in illud incidunt muſcæ, quæ ibi morientes, perdunt ſvavitatem liquoris, ſpi. ritusq; illi egregij evaporant, ah cor non cuſtodi. tum, quam cito labitur, quod muſcæ delictorũ illud fætere faciunt, quâm brevi, Devotio, unio cum DEO, Spiritus vocationis evaneſcit

Sacer

Sacer Codex refert Isboſeth & vitam, & caput amiſiſſe, eo quod de meridie obdormiſſet, Ancillaq; Oſtiaria ſomno correpta quieviſſent, hac de cauſa pereunt miſeri ſpirituales, vocationẽ (utinam) non animam amittunt, accipiunt in corde gravia vulnera, eò quod nimìs liberè agant, diligenter cordis ianuam non cuſtodiunt, ſemper apud illos vereficatur iſtud, Porta patens eſto, nulli claudaris inhoneſto. Vigila tu, ne ad tam miſerabilem devenias Statum.

PUNCTUM TERTIUM.

Vigilate vigilate toties clamat Salvator. 1. Math: 24. Marc: 13. Attendendo diligentiſſimè ad verba, opera, motus Cordis, quo fine agantur, dicantur, in objecta ferantur; ne fures aurum effodiant & furentur, non ſolùm januæ, verum etiam tectum, & alia loca acceſſibilia cuſtodiantur. Cum tali applicatione, & tu, theſaurum cordis, ab omni parte cuſtodi. 2. Cura tibi eſſe præſens, omniaq; tua ad bonum finem, & gloriam DEI, dirige. 3. Cogitationibus bonis, & honeſtis, mentem, & Cor occupa. 4. Cum tantùm advertis dæmonem aliquam tibi, tentationem inijcere, ſine mora principijs obſta, fortiter reſiſte. 5. Non permittas te, ita Curis temporali-

poralibus, ſtudijs, ſollicitudinibus, etiam circa animas abripi, ut tui obliviſcaris, tibiq; minime attendas; ſenſus in diligenti cuſtodia tene, occaſiones, in quibus ad Laxationem, & quandã libertatem Cordis, poſſis devenire, evita, ſolitudinẽ ama, hæc mire conducit ad cordis cuſtodiã.

CONSIDERATIO XLII.

De Perfectione Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

Math: 5. *ESTote perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* O! dulcis JESU! eſt ne poſſibile viliſſimum hominem, pulverem & cinerem abjectum, vermem miſerculũ, aſſimilari Domino DEO, infinitæ dignitatis, Sanctitatis, perfectionisq; Oceano, utiq; finiti ad infinitũ, nulla eſt proportio, major Convenientia puncti, ad lineam, quam finitæ creaturæ, ad DEUM infinite perfectum, tamen tu o JESU mi inſtas: Eſtote perfecti ſicut Pater veſter, non quidem per idẽtitatẽ, ſed per ſimilitudinẽ, & imitationẽ, ſicut enim Pater Cæleſtis, continet omnes perfectiones, alias realiter, alias eminẽter, ut nihil illi deſit ex ijs, quæ ad rationẽ DEI pertinent, ita Operarius Evan-

Evangelicus, ſtudioſè curare debet, ut non ſit Author operis imperfecti, ut non deficiat illis, quæ ab ipſo ſtatus, vocatio, profeſſio, officium exigit. Quomodo enim ad perfectionem Chriſtianam, populũ inflammaret, & efficaciter induceret ille, cui nulla Cura perfectionis, nullus Zelus acquirendæ Sanctitatis. Omnis hæc Creatura, quæ in perfectionis debitæ metam non attingit, inepta eſt ad officium, ad quod à natura ordinata eſt, ut videre eſt, in eqvis, bobus, volucribus &c. Ita Operarius Evangelicus, qvi ad perfectionem non tendit, cui nullũ ſtudium ſanctitatis acquirendæ, ineptus, imò inutilis ad ſalutem Animarũ promovendam. Fructus arborei, uti poma, pira, & alia, quantũvis ex ſe dulcia, & palato gratiſſima, tamdiu tamen amara, inſipida, qvamdiu ad ſuam maturitatem non perveniunt. Ah Labores illi operariorũ, quibus Amor DEI, & proximi ſtudiũ virtutis, & perfectionis propriæ, à corde exulat, quinimò tot imperfectionibus, defectibus, negligentijs, in Seminario Divino diſſolutionibus, ac quibusdã libertatibus exceſſivis, obnoxij ſunt, Labores in quã illorum nauſeã potiùs, & abominationem, quam ædificationem pariunt in

Auditoribus, facile talibus obijci poteſt. *Medice cura te ipſum.*

PUNCTUM SECUNDUM.

E*Stote ergo perfecti.* Dominus JESUS, ut ad perfectionem, & virtutem, mundũ accenderet, factus eſt exemplar abſolutiſſimum, omnis ſanctitatis, & perfectionis, quamꝙ prius prædicaverat, quam docuerat, hinc factum, ut ejus prædicationes, Labores circa animas ſuſcepti, eſſent efficaciſſimi. Cupis & tu ſtrenuus in vinea Domini, evadere operarius, attende 1. tibi, & propriæ perfectioni, pro qua Comparanda, non eſt navigandum ad ultimam Tellurem, nec quærenda inter abyſſos, aut vaſta deſerta, tantummodo ſincerè ad illam aſpira, non longe eundo, domi eam invenies, perfectio tua, in eo ſita eſt, ut Domino DEO tuo intimè per charitatẽ, uniaris, Dominũ DEUM ſpires, pro ejus gloria, omnia facias, & pati multa, non abhorreas, ut ſis exemplaris, ut omnia tua ad ædificationem fiant, ut intuentes te, non ſcandalizentur, ut ſtudio virtutum, & mortificationi paſſionum, ſeriam naves operam. Tandem cum quid agis, pro gloria DEI, age debite ſecundum præſcriptũ majorũ in ſpiritu,

ut de

ut de te verificetur: *omnia bene fecit*, tali modo agens, magnũ passum in perfectione, majorem in Conversione peccatorum, facies.

PUNCTUM TERTIUM.

E*Stote ergo perfecti*, sed quibus medijs, ad hunc altũ perfectionis conscenditur montem. 1. Cum perfectio in unione per charitatem, cum DEO consistat, ad hanc nobis connitendum, tum actibus amoris, eximo corde frequenter elicitis, tum operibus, cum DEO conjungentibus, insistendo. 2. Fugiendo peccatũ Lethale, quia illud, separat à DEO, & ejus charitatem extingvit, imò & veniale saltem deliberatum, nam & istud minuit fervorem charitatis. 3. Bonus usus Sacramentorum, maximè Sanctissimæ Eucharistiæ, mire ad illã conducit. 4. Cooperatio fidelis, gratijs universalibus, quæ non frequenter, ad amorem DEI, impellunt. 5. Virtutibus acquirendis, passionibus mortificandis seriò incumbendum. 6. Regularum observantia exacta, proximus gradus ad optinendam perfectionem. Tandem exercitia spiritualia ordinaria non ordinario, seu vulgatiter, & perfunctoriè, sed fructuosè, cũ applicatione, peragendo. Hac scalâ itur feliciter ad perfectionem.

CON.

CONSIDERATIO XLIII.

De Conservatione in Spiritu.

PUNCTUM PRIMUM.

1. Thes: 5. *Spiritum nolite extinguere.* Nam sicut ignis extinctus, non urit, non accendit, non illuminat, ita Operarius destitutus spiritu suæ vocationis, non multum ædificat, non accendit ad virtutem, cui ipsa non sapit, non illuminat bonis exemplis, quinimo multis scandalis offendit; ex abundantia enim Cordis os loqvitur; qvi plenus spiritu, conformes illi sermones, & actiones eruit, spiritus enim est qvi vivificat.. Politico quis abundat spiritu, certè, non nisi res politicas tractabit; militari, alius est præditus, de bello, prelijs, armis differet, Martemq; fere spirabit. Agricola, de frugibus discurrit, nauta de ventis, & navigatione, verbo tractant fabrilia fabri. Ita plane Ecclesiasticus, si se conservat in spiritu vocationis, erit modestus, simplex, humilis, mortificatus, in omnibus gloriam DEI qverens, regularis & exemplaris, sed si mundanum induat, modus ipsi agendi sæcularis, mundanus, erit, hominibus placere, ad ostentationem agere, sua monita & regulas negligere, juxta suum beneplacitum vivere, erit ipsi familiare; hinc etiam fiet ut nihil dignum DEO in Apostolica functione agat. Spiritus S. per sapientem dicit: *meliorem esse canem vivum Leone mortuo*, nam Leo anima destitutus, ampliùs non spirat ignem, non capit predas, ad nihilum utilis, ita operarius ille, qvi putatur plurimas ex inferno animarum reportaturus predas, si destituatur spiritu vocationis suæ, nihil efficiet, plusq;

plusq̃; forte oberit, quam proderit, ille verò qvi videbatur exiguis talentis instructus, ut canis abjectus, sed virtute plenus, spiritu suæ vocationis preditus, longè plura efficiet, pro salutæ animarum, qvia melior est canis vivus Leone mortuo.

PUNCTUM SECUNDUM.

S*Piritu ambulate.* Considera alterum hoc dovotissimi Apostoli monitum, esse valde salubre operarijs circa salutem animarum occupatis, ut ambulent in spiritu vocationis suæ, in eoq̃; se, fidelissimè conservent. Nam DEUS, unicuiq̃; statui, alligavit certas, & peculiares gratias, ad consequendum finem, illi statui convenientem. Unde qvi illo spiritu preditus est, mirabilia solet agere, aut potiùs DEUS per eum, ut videre est, in Apostolis, qvi repleti Spiritu Sancto, mundum converterunt, etiamsi essent simplices, & miseri Idiotæ, sed si illo careat, nomen tantum inane, & habitum deferet mendacem, à spiritu autem sit alienus, non evadet profecto magnus Apostolus, nam DEUS subtrahit illi illas gratias margaritasq̃; pretiosas auxiliorum supernaturalium ab eo aufert, hinc fiet etiam si videatur multum laborasse, strenue se, in Apostolica functione gessisse, nihil tamen dignum pro DEI gloria, & salute animarum facturus est, eo quod desit spiritus, qvi labores ejus vivificat, animet, & utiles reddat. In Spiritu status tui, omnis virtus tua, tantum in cura Animarum proficies, qvantum de spiritu vocationis, habueris. Experientia quotidiana testatur, illos, qvi non habent spiritum professionis suæ, nunqvam in ea arte evasisse insignes Magistros. Ita Operarius Evangelicus, qui non curat spiritum vocationis fovere, qui mundano

ad Gal: 5.

distem-

distenditur, maximè politicis, non Evangelicis regitur, qvi ad ostentationem omnia agit, qui ob respectus humanos, paratus est Superiorum mandata, statuta vocationis trasgredi, talis Placentinus, & DEO, & fideli populo, displicebit, nec multas lucrabitur animas, qvinimo, ut cadaver, anima destitutum, multis imperfectionibus, dissolutionibus, conversatione, imò modesta fætebit, imò fætore actionum suarum non Conformium vocationi, alios inficiet, *sed væ ei per quem scandalum venit.* Ad extremum; nisi servetur Spiritus in vocatione, perseverare impossibile. Sit medicina pretiosissima, si tamen spiritus evaporetur, ad nihilum valet, nisi ut eijciatur; sit operarius eruditus, eloqvens, cæterisq; talentis ornatus, si spiritum suæ vocationis non habeat, tolerari non poterit. Ipsi sæculares videntes operarium, non in spiritu ambulantem, judicare non temerè, & palam dicere non semel audent, tales non perseveraturos, illos non esse de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Isràél, & ordinariè hæc auguria, non fuisse vana, infelices eventus probare solent.

PUNCTUM TERTIUM.

Sap: 7. *Optavi & venit in me spiritus.* 1. Medium, ad acquirendum, & conservandum spiritum vocationis est amor orationis, illà fovetur spiritus, velut ignis lignis. Experientiâ ille didicit, qui dixit: *os meum aperui &* Psal: 118. *attraxi spiritum.* 2. Recollectionem, tam internam, qvàm externam colere, sibiq; vigilantissime attendere, nam omnis liquor, etiam exqvisitissimus, brevi evaporatur, nisi benè obturetur. 3. Illa omnia, quæ ad proximum pertinent, non alio spiritu, & modo peragere, qvàm,

quâm, qvi, à prioribus Apoſtolis, traditus eſt, & obſervatus: nihil planè ex proprio capite addendo, vel minuendo. 4. Strenuè illas virtutes comparare, ex quibus coaleſcit Spiritus Eccleſiaſticus. 5. Sæcularium familiaritates, quantum fieri poteſt, evitare; nam in illis valde labefactatur ſpiritus, *commixti ſunt inter gentes & didicerunt opera eorum* 6. Illa, qvæ ad perfectionem noſtram ordinata ſunt, fideliter obſervare. 7. Inſpicere exempla majorum, illorumq; primigenium ſpiritum, obſervare, ac eundem acqvirere ſtudere. 8. Amare intimè tam ſublimem vocationem, ejusq; ſpiritum inducere curare, qvo ſi repletus fueris, ſpiritus iſte bonus, deducet te, in terram rectam. Pſal: 505.

CONSIDERATIO XLIV.

De Amore propriæ Vocationis.

PUNCTUM PRIMUM.

BOnum, honeſtum, utile, qvis non amaret? & vocatio tua, maximum bonum eſt. 1. *Honeſtum*, in quo umbra etiam peccati & receſſus, à recta ratione deliberatus pertimeſcitur. *Eſt jucundum*, qvia, nihil dulciùs, qvam famulari DEO, cui ſervire regnare eſt, & qvidem, in ea vocatione, in qva mutuus reſpectus, charitas conſtans inter fratres viget, in qva non eſt meum & tuum, ſed perfecta Chriſtiana Communitas, in qva non eſt diſtinctio Judæi & Greci Nobilitatis æſtimatio, ſed unitatis, in qva ambitioni officiorum, prærogativarum, exceptionum, Privilegiorum, occluſus aditus, ſed omnes unum in Domino, & qvi eſſe major vult, ſit miniſter aliorum. In qva,

conſervatur primigenius Spiritus, ordo admirabilis, obſervantia fideelis, exemplaritas ſtupenda, conformitas in victu, & amictu, & alijs, qvid jucundius in vita cogitari poteſt. *Eſt utile* qvia per gratiam vocationis, factus eſt DEI familiaris, qvi in mundo ob ſcelera commiſſa, jam perditus eras, factus es civis Sanctorum, & Domeſticus DEI, qvi ob tot peccata, fuiſti ſocius dæmonum, collocaſti in tuto ſalutem, qvam in mundo mille periculis expoſuiſti: degis nunc, quaſi in paradiſo, cum in mundo, tanquam in inferno habitaſſes. Time nunc umbram peccati, cum in mundo bibiſſes iniquitatem, tanqvam aqvam, omnia bona tibi, pariter cum ea venerunt, cum nihil pro illa reliqviſſes; verè inveniſti theſaurum abſconditum in agro: non nê pro eo ſupplices DEO ages gratias? non ne exultabis cum Evangelica muliere: *Congratulamini*
Lucæ 15. *mihi, quia inveni drachmam.*

PUNCTUM SECUNDUM.

1. Cor: 1. *Videte vocationem veſtram*; nihil enim volitum, niſi cognitum, expende igitur dignitatem, excellentiam, ſublimitatem vocationis tuæ, & ſi lapis non es, langvebis amore, ipſa eſt pretioſa margarita, cujus ſi mundus valorem cognoſceret, non caperet negotiatores. Non ne pretioſa Vocatio tua, nulli alteri comparanda, cum ſit eadem cum Domini JESU, qvi Evangelizare pauperibus miſſus eſt, ſicut & tu: Jlle circuibat oppida, & Pagos, Evangelizans, idem, & qvidem, primarius Vocationis tuæ ſcopus eſt. Ipſe duodecem formavit Sacerdotes; tuæ profeſſionis eſt, non ſcholares, non pueros, ſed Eccleſiaſticos in ſortem Domini vocatos, dignos DEI miniſtros formare, ſcientiâ & virtute imbuere Dominus JESUS, venit in

mundum,

mundum, ut fieret exemplar abſolutum, idæa perfectiſſima virtutum, & vocatio tua, eſt ſchola virtutum, & ſublimis pefectionis Magiſtra: vocatio tua (pace aliarum dixerim) antecellit omnes, cum non ſit adinventio humana, ſed Divina. Æſtima ergo ipſam, omnia potiùs perdere eligito, quàm jacturam vocationis facere.

PUNCTUM TERTIUM.

VOcavit nos DEUS vocatione ſua Sancta. Caveamus, ne improbâ vitâ, illam profanemus, ne pravis moribus, illi notam inferamus, ne laxâ vitâ noſtrâ, irregulari diffamemus, quinimò ſatagamus, per bona opera certam vocationem noſtram, facere, à ſpiritu illius non recedamus, quinimo ut in nobis in dies augeatur, ſtudio ſe allaboremus. Statuta per Canones, Sanctiones, & alia monita, qvam exactiſſimè Obſervemus, nihil in ea innovemus, ſed illa, qvæ à Patribus tradita, firmiter teneamus, verbo; vivamus, ſecundum vocationem noſtram; mordicùs, etiam minutiſſimas praxes, adimplendo; alias aut mores, aut nomen mutandum eſt. 2. Tim: 1.

CONSIDERATIO XLV.

De Stabilitate in Vocatione.

PUNCTUM PRIMUM.

FRatres mei, ſtabiles eſtote, & immobiles: qvia, qui perſeveraverit, hic ſalvus erit. Bonum glorioſum eſt, famulari DEO in ea vocatione, qva vocatus es, verùm nihil infamiùs, damno- 1. Cor: 15.

fiùs, quàm eandem leviter dimittere, vel ad dimiſſionem voluntariam, occaſionē præbere. Pulchrum erat Angelis in Cælo, primis Parentibus, in paradiſo, in juſtitia originali, procrearı, ſed quorſum hæc, cum in hoc feliciſſimo ſtatu, ob ſuam temeritatem, non perſeveraverint. Et Judas, benè cæpit, ſed quid profuit, quando male finivit. Ecce poſitus es tu in hac Sancta vocatione, tanquam Angelus, in Cælo terreſtri, noli ergo à Domino DEO tuo, apoſtatare, collocatus es, tanquam in paradiſo, quam undiq; affluit copia ſpiritualium, & Corporalium bonorum, in omnibus enim divites facti ſumus, quid enim tibi defuit aliquando, in utroq; inveniſti in vocatione, quorum nec guttam in mundo habuiſti, noli ergo propter vile, inconſtantis pomum, paradiſum deſerere, noli reſpicere retro, noli ad cæpas Ægyptiacas aſpirare, noli ſupra Cæleſte manna, nauſeare, ſcito à perſeverantia, omne bonum dependere, & ſolam Conſtantiam Coronari. Et quis ſcit, ſi DEUS non decrevit, te ſalvare, niſi dependenter à perſeverantia in vocatione; noli ergo abrumpere filum prædeſtinationis Divinæ, & in dubium, ſalutem tuam vocare.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

QUi ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis reperit pravitatem. Job 4. Ah! quam deploranda, humanæ voluntatis inſtabilitas, ita planè, multi ſervi DEI, quia à primordijs vocationis videbantur Angeli, brevi fiunt Apoſtatæ, diaboli, multi ab initio, videbantur in ſervitio DEI, tanquam columnæ ferreæ, brevi vitæ ſpiritualis pertæſi, fiunt arundo vento agitata, ob Levem quandoq; inanem, futilemq; apprehenſionem, gratiam vocationis abijciunt, & velut Filij prodigi, ſine ratione, tantummodo, ut ſuo genio vivant, ut ſatientur ſiliquis percorum, ut impudititiæ habenas laxent, non enim ob aliũ finem, egrediuntur, deſerunt donum Patris Cæleſtis, illiq; qui nutriebantur in Croceis, non erubeſcunt amplexari ſtercora. O! inſania! Cælum abijcere, infernum eligere, Proh! pudor! mannas reſpuere, cæpas fætidas appetere! O! veſania! terram, melle & lacte fluentem, derelinquere; & in Ægyptum, amaritudinis mare redire. Sed vide paſſionibus excæcate, quod Lucrum habebis, ex tua inconſtantia? Nunc es remotus, ab occaſione peccandi. In mundo cum in maligno igne poſitus, inter multa peri-

cula, te reperies. Nunc casus rarior, venia facilior. In mundo peccare, parum curabis, resurgere negliges. Nunc qualem talẽ nitorem conscientiæ Curas, in mundo omnia contemnes, salutemq; tuam, valde dubiã reddes. Expende ultra, in vocatione, quot fratres habuisti, tot Conservos in Domino; in mundo, fies omniũ servus, nunc habes omnimodas Commoditates, in mundo, non semel dices: *& ego fame pereo*, honoraris nunc, ob vocationem, in mundo, fies in derisum, & in similitudinem improprij: adhuc ne istis perpensis, fies ingratus? pretiosamq; margaretã, ob quam omnia vendenda, & Contemnenda essent, pedibus ingratis Conculcabis? Incipe meliùs sapere, edoctus multorum incomparabili damno, qui non priùs agnoverunt bonum vocationis, nisi postquam illam amiserunt.

PUNCTUM TERTIUM.

* Psal: 48. *HOmo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Ne & tu, ad illam insipientiã delabaris, excidendo ab eminentissimo honore vocationis, Cognosce bene gratiam vocationis, illam æstima, & diligenter Conserva. Tentationes, si quæ contra illlam,

abori-

aborirentur, generosè vince, vel quæ sunt molestæ eas Patri spirituali aperi, ad spiritum vocationis te serio applica, fisq; diligens in servitio Divino, quia Dominus DEUS, potest permittere, in pœnam negligentiæ, ut de vocatione excidas: Ora DEUM, ut tribuat tibi donum, perseverantiæ. Elige potiùs mori, quàm vocationem deserere: ad omnia incommoda te pro ea generosè resolve, & velut alter Jacob, amore illius æstuans, quodcunq; pondus, diei, & æstûs, patienter porta Habes Cæleste promissum, quod te pro fidelitate, & constantia in vocatione, expectat. *Esto fidelis usq; ad mortem,* Apoc: 2. *& dabo tibi Coronam vitæ.*

CONSIDERATIO XLVI.

De infelici exitu vocationis desertæ.

PUNCTUM PRIMUM.

Qui contemnunt me, erunt ignobiles. Imò perditi vocationis Contemptores. Miles sæculana Castra deserens, infamis est, captusq;, vitâ Corporali mulctatur; & illi qui spirituali militiæ nomen dederunt, postea nescio, qua temeritate inflati, balteũ suæ vocationis abijciunt, 1. Reg: 2.

reverâ

reverâ plectuntur vitâ ſpirituali, utinam non æternâ. Tales enĩ deſertores, qui guſtaverunt donum Cæleſte, qui ſunt ſemel illuminati, & participes facti Spiritûs Sancti, quiq; dulci mannâ incraſſati, impingvati, poſtea recalcitrarunt, & à ſua vocatione, dilabuntur, cum ad mundũ redeunt, fiunt diſſolutiſſimi, obduratiſſimi, & in omne nefas effuſi, ipſis etiam ſæcularibus pejores, hinc fit, ut difficile ad pænitentiam revocentur, ſicq; juſto DEI judicio pereant. Novi duos, utinam non noſſem, qui ex ſola levitate, & tam excellentis gratiæ contemptu, vocationem deſeruerunt, ſed quam miſerè perierunt! unus dicebatur neſcio ex qua cauſa interfectus; alter inventus eſt in Lecto, ſupremum agens ſpiritum, ſine Sacerdote, & forte ſine ulla diſpoſitione, vix ei ſpiranti tranſiens Sacerdos caſu, abſolutionem ſub Conditione impertivit; & ſic ordinarie male finiunt ingrati deſertores. Judas ille, poſtquam deſeruerat Collegiũ Apoſtolorum, turbis autem mundanis, ſe adjunxit, illico factus proditor, deinde laqueo ſe ſuſpendit. S. Thomas ſemel tantùm, non erat cum alijs, & ecce in grandem infidelitatem, cordis duritiem, incidit. Time & tu, tam periculoſum

Lapſum,

Lapſum, ſtansq; in Sancta vocatione, videas ne cadas, felicemq; te faciant aliena pericula Cautum.

PUNCTUM SECUNDUM.

MEmores eſtote uxoris Lot, dicit Dominus, Luc: 17.
hæc tantummodo reſpexit Sodomam ardentem, ex qua, Divinâ Providentiâ exierat, illico in ſtatuam ſalis converſa eſt; quid cum ipſa factum fuiſſet, ſi redijſſet, certè vivam infernus abſerpſiſſet. Memento & tu, ereptum te eſſe, ſingulari gratiâ Divinâ, è Sodoma hujus mundi, in qua gravibus peccatis ardebas, noli redire, aliàs certus interitus, ſi enim *mittens manum, ad aratrum, & reſpiciens tetro, non eſt aptus Regno DEI*, quomodo illud, polliceri ſibi poteſt, qui poſt tot gratias, in vocatione, à DEO ſuſceptus, illam abjecit. Ingrati Judæi, affecti tædio, ſuper pane Angelorum, cũ meditarentur regreſſum in Ægyptum, ignitis ſerpentibus ſunt perempti. Ah excæcati deſertores! quibus manna ſpiritualis vitæ, non ſapit, qui ad cæpas & cucumeres mundanos redeunt, vere torquentur ſerpentibus ignitis, ſtimulis in quam Conſcientiæ, exprobantis, & cruciantis, quod tam Sanctam vocationẽ ingrati deſeruerint perſtrin-

guntur, ceu aculeis ignitis, dum à ſæcularibus, carpũtur, Cloacæ comparantur, & nominantur: uruntur, dum exſibilantur, digito monſtrantur ita, ut ſerenum oculum, & hilarem frontem deferere, non poſſint, niſi ſint effrontes: arguuntur non modicè, dum egreſſi, quo ſe vertant? neſciant, & qui in domo paterna abundabant panibus, nunc fame pereunt, diſtenduntur deſperatione, quando ſe vident neglectos, contemptos, & qui ſe ſperabant, apud mundum, montes habituros aureos, nec plumbeos inveniunt. Ito ergo & tu ſuperbe, proterve deſertor, qui ex Levi quacunq; occaſione, vacillas, putas ob tuam in conſtantiam, Congregationẽ ruituram? falleris! ſcito longe te digniores, utiliores, doctiores, abijſſe in vias ſuas, nihilominus Congregatio purior, nitidior exiſtit, non enim nocet tritico, ſi ab eo ſeparentur Zizania, nec auro, cum abeo tollitur *ſumma*. Ito, qui velut ſtulta muſca, non valens calorem cubiculi tolerare, continuò, in auram liberam evolare contendit, ſed ſuo damno, cum vel à paſſere devoratur, vel in nives cadens, emoritur. Ito, cui moleſta videtur domeſtica obſervantia, ſed in mundo, non ſpera, niſi infauſtũ exitum. Expertus

id

id quidam desertor, qui postquam vocationem abjecerat, apertiq; sunt oculi ejus, cognovissetq; quantum bonum amiserit, facti pœnitens, redire omnino cupiebat, sed cum paululùm, Superiores de receptione deliberarent, petitisq; ejus non statim deferrent, nam à privatione ad habitum difficilis regressus, desperatione præoccupatus, se ipsum cultro confodit, sicq; miseram effavit vitam.

PUNCTUM TERTIUM. 5. P.

NOn *quid & vos vultis abire*! visne svave jugum & Christi excutere, & te deplorandæ servituti passionum, concupiscentiarũ & multorum peccatorum subijcere, visne, panem Angelicum Conculcare, & impleri siliquis, peccatorum? respondè cum fidelibus discipulis: *quo ibo, o Domine! verba vitæ æternæ habes: etiamsi oportuerit me mori, non te negabo.* Cogitabo non multum, apud mundum Lucratos esse, qui suam stationem deseruere. Timebo infelicem commutationem. Curabo, omni studio, ne ad dimissionem miniam etiam, exhibeam occasionem. Tentationes contrà vocationem, etiã sanguinis ebullitione, aut Cordis diruptione vincere conabor. Rogabo instantissimè, DEI

Joan: 6.

mei majeſtatem, ne me animæ irreverenti, & infrunitæ tradat, imò pro vocatione, pati, & mori, me paratum profiteor. Dicam cum S. Paulo: quis me ſeparabit, ab amore vocationis meæ, non gladius obtrectationũ, non anguſtiæ difficultatum, non tribulationes deſpectuum & contemptuũ, verbo nulla creatura, poterit me ſeparare, ab amore vocationis, quæ eſt in Chriſto JESU, cui adhærere, mihi dulce eſt. Tu tamen o dulcis JESU! qui dediſti velle, da & perficere, confirma hoc, quod operatus es in me.

CONSIDERATIO XLVII.

De Digna Sacramentorum Adminiſtratione.

PUNCTUM PRIMUM.

Sancta Sanctè tractanda. Non ſolùm Fidei Chriſtianæ alumnis, verùm etiam, Ipſis æthnicis, eodem lumine deſtitutis, perſpectum eſt, nam inter cauſam, & effectum, debet eſſe proportio, cum igitùr Sacro-Sancta Sacramenta, ſint Sanctiſſima, & contineant merita Chriſti, ac gratiam Sanctificantem, videat Miniſter, qvam dignè Sanctè, piè, & religiosè, illa tractare teneatur, ne polluat ſe, labe Sacrilegij. Dictum eſt antiqvis: *Mundamini qui fertis Vaſa Domini*, qvantumvis tantùm legalem Sanctitatem continerent, cum quanta igitur Sanctitate, diligentiâ, applicatione, & reverentiâ, miniſtranda ſunt novæ legis Sacra-

Sacramenta, utpotè veram Sanctitatem continentia. Reprehendit quondam Apoſtolus, illos indevotos Chriſtianos, qui tanquàm ad qvotidianam menſam ſine pietate, obſervantia, & reverentia ad Chriſti Corpus accedebant: *Jam non eſt Cænam Dominicam manducare*, quâ non eſſent reprehenſione digni? illi Miniſtri, qui miſſam celeriter, ac præcipitanter, non tam legunt quàm oculis percurrunt, Euchariſtiam diſtribuunt ſine fide, & Religione, ac ſi obolos cereos, diſpenſarent. Conſiderent igitur miniſterium ſuum, an ita impleri debeat.

PUNCTUM SECUNDUM.

COnſidera attentè, ſemper Dominum DEUM indigne tuliſſe, imo & graviter animadvertiſſe in illos Sacardotes, qui ipſius Sancta, non cum debito cultu, & reſpectu tractarunt. Occurrit primus menti, in teſtem hujus veritatis Oza Sacerdos, qui eo, quod ſe modicùm indecore geſſit, circa arcam Domini, & ut aliqvi volunt, quod gravitatem non ſervaverit, cum nimiùm feſtinus labentem erigere conatus fuerit, morte ſubitaneâ, peremptus, occubuit; Balthaſar ille Rex potentiſſimus, eo, quod vaſa aſportata de Templo Jeroſolimæo, utpotè DEO Conſecrata, non ſatis honorifice Coleret, imo ipſis, abuſus eſt, cum Concubinis bibendo, ea nocte, quâ inſanè hilaris ſacrilege illa epotabat, regnum, & vitam, miſere occiſus, perdidit. Quid ſibi polliceri poſſunt, illi miniſtri, qvi cum qvadam nimia libertate, verius diſſolutione, & ſine reſpectu, ſine debito cultu, & gravitate Sanctiſſima Sacramenta miniſtrant; Quid dicendum de illo, qui Baptiſmum conferendo, neſcio, qvos ſales & jocos intermiſcet, audit alter Confeſſiones cito, præcipitanter, non examinatâ de-

bite

bite conſcientiâ pœnitentis, non diſponendo illum ad veram deteſtationem peccatorum, non excitando ad firmum propoſitum, ad emendationem vitæ, verûm feſtinanter abſolvit, ac ſi Davidis gladius, ſupra Caput ejus, ſtrictus penderet, & in hoc ſe operam ſuam optimè collocaſſe putat, qvod multorum expediverit cõfeſſiones. Sed o Lanio Animarum! non in hoc ars multos, & nihil ad rem, ſed paucos, & bene fructuosè audire, diſſipare ſubſtantiam paternam, Luxurioſe vivendo, filij prodigi eſt, at iſtam hereditatem Cæleſtem indigne tractare, Sacrilegium. Si qvis Sanctum ita indiſcrete tractaret, ut & Canes de illo participarent: Si qvis pretioſis margaretis, ita promiſcuê uteretur, ut & porci illas conculcarent; aut, inſipiens aut deſperatus ab omnibus haberetur, at ille Miniſter qui non ſatis religioſe, devote, ac diſcrete Sacra miniſtrat, quâ Cenſurâ non eſt dignus; juſtiùs diſſipator, quam diſpenſator appellandus.

PUNCTUM TERTIUM.

1. Cor: 4. *SIc nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum* DEI, *hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Rara Phœnix, rarior fidelis Sacramentorũ Miniſter. 1. Sollicita Cura, puritatem Conſcientiæ, & immunitatem, à peccato mortali, vel ſi, quod à te, longè abſit, eo te in quantum ſenſeris, aut prudenter dubitaveris, illud Confeſſione elue, aut ſi tempus non patiatur, excepto tremendo miſſæ ſacrificio, contritione perfecta extingue. 2. Debes multum æſtimare, res ſacras, neq; illas cum riſu, & levitatibus tractare, quia DEUS non irridetur. 3. Fidem vivam in te excita, qua apprehendas, dignitatem, valorem, efficaciam

Sacra-

Sacramentorum. 4. Time vindictam Divinam, ne irreligiosè ea tractans, horride puniaris. 5. Exacte & cum gravitate, omnes ritus, observa, eosq; in spiritu devotè exhibe. 6. Anteqvam te conferes ad ministerium, paulisper te, recollige, DEUM invoca, illiusq; gloriæ actionem hanc Consecra.

CONSIDERATIO XLVIII.

De Fuga Pusillanimitatis.

PUNCTUM PRIMUM.

Dicite Pusillanimis: Confortamini & nolite timere, ecce DEUS noster, ipse veniet, & non tardabit, & salvabit nos. Isai. 35. Inter cæteras artes, qvibus nititur, salutis humanæ juratus hostis, à vocatione Operarios, à sedula Cura Animarum, avocare, non postrema est pusillanimitas, qvam ipsis, non raro, inijcit, tum difficultates insuperabiles, propenendo, tum oppositiones persecutiones, magis immaginarias, qvàm veras, representado, ingerit etiam Considerationes, frequentes, defectuum, talentorum, ad tam arduũ munus, uti eloquẽtiæ, activitatis, habilitatis, admirationis, admissionis munia, intulit etiam timorem, quod forte cõciones tuæ, non erunt ad palatum Auditoribus, vituperabunt tuos labores, & pro gloria tibi, concilianda, infamias pariet; similibus reflexionibus perterritus opearius, cadit animo, ad missiones progredi non audet, sicq; elusus à patre mendacij, in angulo delitescere, exoptat, alias ad Curam animarum idoneus. Verum ô serve DEI, confortare & noli timere, DEUS te vocavit,

ad tan-

ad tantum munus, Superiores applicarunt, judicatus es sufficiens, confide in DEO, quod tibi assistet peculiari gratia, cum ea opus habebis, dabit tibi in illa hora, quid loquaris, adjuvabit in omnibus difficultatibus, qvapropter Confortare, DEI auxilum invoca; Oppositiones mundanorum non timeas, laudes vero illorum minimè Cura, si enim hominibus placere velles, Christi servus non esses.

PUNCTUM SECUNDUM.

Eccl: 7. *NOli esse pusillanimis in animo*; monet sapiens, & enim Leporinum Cor, multorum in commodorum solet esse occasio, Miles resolutus, ordinario triumphat, nam: audaces fortuna juvat; timidus imbecillis, vel sola apprehensione prelij, emoritur; ita sane, in Castris militiæ spiritualis, evenire solet; auxilio DEI innixus, resolutus operarius, egregiè laborat, pro gloria DEI, timidus, non audet se exponere, trepidans, ubi non est timor, vel si se resolvit, quot se scrupulis involvit, qvot anxietatibus se innodat, qvamvis bene sciat, qvomodo in simili casu agendũ, quæ resolutio tenenda. Pœnitentibus vero, quam sint molesti, in quas perplexitates, eos inducant, dificile edicere, non raro, exponunt se, periculo indignè administrandi Sacramenta, propter illam fluctuationem, & indeterminationem, reddunt illa, odiosa, se privant pace, & tranquillitate interna. Sed quid timidus es modicæ fidei, phantasma est umbra vana, quæ te perterret, age strenuè, & deprehendes veras fuisse immaginationes. Cum quis audacter per trabẽ elevatã incidit, feliciter transit, timens autem facile vertigiũ patitur, & cadit in præcipitiũ. Esto igitur firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequetur te, verbum pacis & Justitiæ.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

NOlite *timere pusillus grex.* Verum ad Patrem con- Lucæ 12.
fuge luminum, ut te Cœlestibus illuminet, instruat quid & quomodo agendum? tibi quidem difficile, sed in DEO spem firmam colloca, nam qui dedit esse, dabit quoq́; consequentia ad esse. Cura, ut sis benè fundatus, in ijs, quæ ad statum tuum pertinent, curiosa relinque, vaca necessarijs, cum secundum bona principia processisti, noli ultra esse anxius, reliqvum DEO commenda. Protestare coram DEO, te velle, quam optimê, omnia pro gloria ejus, agere. Si secùs res eveniant, vel ob errorem, vel ob in advertentiam, bona Fides, te excusabit.

CONSIDERATIO XLIX.

De Tolerantia Laborum.

PUNCTUM PRIMUM.

HOmo *nascitur ad laborem, avis ad volatum,* frustra Job. 5.
igitur labores, defatigationes, molestias, missionibus proprias incusamus, quia in hoc nati, & positi sumus, ut laboremus, secùs, qui non laborat, non manducet. Ecclesia militans, vinea est, adquam excolendam, hos, & illos, benignissimus Dominus vocavit operarios, ut diligenter laborent, desudent, & multùm patiantur, pro salute Animarum. Jllis in veritate dicitur: *Ego constitui te super gentes, ut evellas, & dissipes, & dispendas, &* Jerem: 1.
ædifices & plantes, quid ergo conquereris, ac si jam exhaustus esses: si aliquid extraordinariè laborandum, aut paulo diligentiùs Confessiones audiendum: revoca tibi, in

mentem labores, ſudores, noctes inſomnes, aliquando in deſerto, in nuda humo, peractas, Domini JESU, pro ſalute animarum; & erubeſce, ſub tanto Duce, velle qvieti indulgere. Recordare, Sanctorum Apoſtolorum, quomodo in Laboribus multis impendebantur,& ſuper impẽdebantur, etiam poſtpoſitâ vitâ propriâ, pro ſalute Animarum, ut pudeat te, in ijsdem Caſtris, velle vivere, delicatè.

PUNCTUM SECUNDUM.

Mat: 20. I *Te & vos in vineam meam.* Servus non conducitur ad otium, nec Operarius ad ſomnum, tu qvi ſervus DEI & Operarius es, qui, eo fine, vocatus es, recuſabis Laborem? verùm, quis eſt labor tuus? ſub quo ita fatiſcis? dare aurem confitentibus, unâ & alterâ horâ, prædicare verbum DEI, rudimenta Chriſtianæ fidei tradere, eſt aliquis Labor, non diffiteor, ſed eſt ne par illi quo nautæ, agricolæ, milites, mercatores, imo Reges,& Principes Terræ, ſuſcipiunt, idq;, ut corruptibilem Coronam, temporale lucrum, umbratilem nominis famam, lucrentur, & nos pro incorrupta æterna, pigebit aliquantulum fatigari? Nonne meretur DEUS optimus, apud nos, ut pro ejus amore, aliquid patiamur & agamus? Non ne dignæ ſunt animæ, pro quibus, ſe Chriſtus exinanivit, ſanguinem fudit, & vitã poſuit, ut & nos, miniſtri ejus, pro illis aliquid ſuſtineremus moleſtiæ. O! ſi vel una, ex applicatione noſtra ſalvaretur! O! ſi vel uni, prædicatione, inſtructione noſtra, eſſemus cauſa ſalutis. O! quam grande, exigui Laboris, referremus pretium! Laboremus ergo in omnibus,non indulgeamus nimis debilitati, Laboris parvi, ſummus DEUS, omnis felicitatis Oceanus, erit merces magna nimis.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

IN omnibus Labora, prædica Verbum, insta importune, opportune age, argue, obsecra, aspiciens in remuneratorem, qui modicos hos sudores, torrente voluptatis, tibi compensabit, excita in te, desiderium, quam plurimùm pro DEO, & salute Animarum, Laborandi. Resolve te, generosè, ad quosvis Labores, dum te Divina Providentia, per Superiores, ad illos applicabit. Cofide DEO, qui te, adjuvabit, & merita Coronabit. Offeras hilariter, quales tales, missiones, Labores in satisfactionem pro peccatis tuis, conjunge illos, cum Laboribus Christi, & si aliquis Langvor Spiritûs, te occupabit, eum excute, vim tibi facito ingemina, nunc tibi tempus, Laborandi, post mortem quiescendi. 2. Timo: 4.

CONSIDERATIO L.

De *Frequentatione Functionis Apostolicæ.*

PUNCTUM PRIMUM.

LEvate Oculos vestros, & videte, Regiones, quoniam albæ sunt ad messem. In oppidis, pagis, aliisq; locis humilioribus. O! quam multa messis. O! quam multi Libenter audirent, verbũ salutis, & non sunt, qui prædicent. Quidam Prælaturis Superbientes, tanquam Pavones, contra dignitatem suã existimant, aliquid Joan: 4.

in Eccleſia pro ſalute Fidelium operari, ac ſi tot reditus inſignes, beneficia pinguia, ad eorum Luxum, pompas, delicias, & otium quo diffluant, eſſent ordinata; & nec pro Eccleſiaſticis Miniſterijs, alijs Curis temporalibus, & rei familiaris accumulandæ intenti Continuò, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ JESU Chriſti; alij rudes, indocti, indevoti, diſſolutiores, planè inepti ad miniſterium Verbi, & paucis concludam, exercitus ingens Sacerdotum poſſet Conflari, paucos tamen, aut ferè nullùm in meſſe Domini reperire eſt ſtrenuũ Operarium; Comparere in felicitati Sanctæ Eccleſiæ. Roga igitur Dominũ meſſis, ut mittat Operarios in meſſem ſuam, tu quoq; ipſe libenter ad functiones Apoſtolicas progredere, hoc opus ſummè placet DEO, qui *omnes homines vult ſalvos fieri*, qui pro eorum ſalute Filium ſuum Unigenitum miſit è Cælis. Hoc opus eſt altiſſimũ proximis: Qui etiam *Converti fecerit peccatorem, ab* Jacob: 5. *errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte & operiet multitudinem peccatorum*; ad hunc enim finem, te DEUS vocavit, ut Labores circa animas Ruſticanorum, promereariſq; tibi, Coronã juſtitiæ. Cur igitur domi deliteſcis? aquæ ſtagnantes,

gnantes, putrescunt, ferrum nisi sit in usu, rubigine Consumitur.

PUNCTUM SECUNDUM.

HIc est Filius meus dilectus in quo mihi bene com- Math:17.
placui. Considera DEUM erga nullã Creaturam tâm tenerum expressisse affectum, nisi erga Dominum JESUM, cui enim ex Angelis dixit: *Filius meus es tu*, in quo mihi Complacui. Ob quam Causam putas, hanc teneritudinem, erga illum Contestatum esse, ob unionem Hypostaticam, verùm est, quia fuit Filius DEI naturalis, sed non ob solam; ille Zelus dilectissimi circa pauperes JESU, illa sollicitudo circa Animas, illi Labores continui, circa turbas, illæ circuitiones Castellorum, Pagorum evangelizãdo: illi familiares, sed devoti sermones, illa indefessa Cura, circa salutẽ Animarũ, causa fuit tam teneræ, Cordialis, visceralis Complacentiæ DEI Patris, in Domino J E S U. Vis ut in te DEUS sibi placeat pusille grex, labora, desuda, age quantùm potes, pro salute Animarum, in servis laboriosis, Domini; Duces, in fidelibus Militibus, sibi complacent, & Dominus DEUS in Zelosis Operarijs; cur ergo stas tota die otiosus? cur non pergis ad vineam, quam

devaſtant apri infernales, milliones Animarũ degluciẽtes. Aſpicies ne hanc ruinã ſiccis Oculis? ito & tu Labora ſtrenuè, accipies denariũ optatiſſimum ad veſperam vitæ.

PUNCTUM TERTIUM.

Joan: 15: *Elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Hæc eſt obligatio, hic finis vocationis tuæ, ut eas, tu verò otiaris. Qualis ille Orator, qui nunquam peroravit! Qualis Miſſionarius, cui miſſiones non ſapiunt? nomen inane, crimen immane. Quapropter excita in te ardens deſiderium laborandi, imò morien-

Joan: 2. di in Miſſionibus, ut poſſis dicere: *Zelus Domus tuæ comedit me.* Datâ occaſione, roga Superiores, ut ſi ipſis viſum fuerit, te applicent huic functioni. Inſpice exemplar, Dominũ noſtrũ JESUM Chriſtum, & aliorum Apoſtolicorum Virorum, qui ferventer ſaluti Animarum, & cũ quanto diſpendio ſerviebant, tu ad ſimilia exardeſce, tempeſtivè præpara ſermones, & alia neceſſaria, ne velut miles ſine armis, quando opus fuerit, procedas. Indue Spiritum Domini noſtri JESU Chriſti, & Apoſtolorum, per aliquot dies ſolitudini & recollectioni vacando, ut ſic magis diſpoſitus eas, & fructum afferas.

Poſtula

Postula â Domino DEO tuo, ut pectoris tui glaciem frigidam, ad tàm excellentẽ functionẽ ignis Cælestis consumat, Animumq; tuum Divinis ardoribus accendat, quatenùs sacro hoc Zelo, velut ferrum ignescat, nec te absterreat, quod fortè malè acceptaberis à Mundanis, quod modicum fructum sint reportaturi, imò multos opposituros se speres, tu age, quod potes, & si non poteris mederi, ingemisce, deplore duritiam eorum, dolorem & Lachrymas sincerè charitatis erga illos teste DEO offeras.

CONSIDERATIO LI.

De Functione Catechizandi.

PUNCTUM PRIMUM.

S*Inite parvulos venire ad me.* Considera Domini JESU affectum, cum quo illos parvulos infantes recipiebat, eos instruebat, manus imponebat, & quamvis à discipulis adhuc alta sapientibus, moneretur, ne se cum illis occuparet, ac si instructio puerorum repugnaret dignitati ministerij, Dominus tamen JESUS, uti humilitatis veræ exemplar, illos non audivit, quinimò instantiam illorum, repulit. *Nolite* Mat: 19.

pro-

prohibere parvulos venire ad me. Erubescès & tu Cathechizare pauperibus pueris, rudibus, ignorantibus mysteria fidei proponere; habebis ne pro infima functione, hanc sublimem actionem, quam ipsa Sapientia Incarnata, suo Exemplo nobilitavit. Sancto Vincentio nihil dulcius fuit, quàm tradere doctrinam Christianam, etiam si fuisset Vir magnæ dignitatis, & æstimationis in Regno. Idem & tibi sapiet. Doctissimus pariter Vir, & celeberrimus Joannes Gerson, putabat non posse Sacerdotem meliùs operam suam impendere, quam pueros doctrinâ Christianâ imbuendo, quo enim imbuta fuerit testa recens, servabit diu odorem, qua propter multum Consveverat circa pueros laborare; etiamsi esset Cancellarius Parisiensis. Nec tibi sit molestum instruere ruricolas, pauperes, pueros, est enim insignis Actus misericordiæ Spiritualis docere ignorantes, & fortè majoris menti, quàm prædicare.

PUNCTUM SECUNDUM.

Thren: 4. *Parvuli petierunt panem & non non erat qui frangeret eis.* Etsi ergo vocatio tua ad hanc exercendam functionẽ te non obligaret, necessitas penè extrema, in qua positi sunt pauperes, villani,

Villani,imò & multi Civitatẽſes, te Commoverent. Iſti quantumvis videantur politiores inter greges Sacerdotum Commorantes, ſunt tamen non rarò Myſteriorum fidei ignorantiſſimi, uti experientia quotidiana docet; Quid ſentiendum de Villaribus? hinc fit, ut ob illam ignorantiam â Via veritatis aberrent, peccatis ſe dedant, & tandem in perditionis abyſſum devolvantur. O quam multa meſſis, in ipſa Chriſtianitate! Operarij tamen pauci, quamvis etiam innumeri in Eccleſia reperiantur Prædicatores, pauci tamen inſtructores, etiam alij qui ſibi videntur docti tantummodo in mirabilibus ambulant ſuper ſe, alij indocti quomodò alios docebunt? cum ipſimet ſint Ignorantes. Quare indue Spiritum Domini noſtri JESU Chriſti, indue Spiritum Apoſtolorum, qui hoc dulce lac doctrinæ Chriſtianæ ſine reſpirio propinabunt gentibus. Hic eſt Cibus dulciſſimus, quo cum majori guſtu reficiuntur Villani, quam prolixis Sermonibus, magiſq; afficiuntur ad Catechiſtas, quàm Prædicatores. Non ſubtrahas ergò tam ſalubre pabulum, verbum DEI eſurientibus Ruricolis, quia *Pauperibus evangelizare miſſus es.*

PUNCTUM TERTIUM.

Mat: 29. *EUntes ergò docete omnes Gentes* illa maximè, quorum notitia eſt ad ſalutem neceſſaria. Honori igitùr tibi ducas, cum alij pro Concionibus, tu ad Catechizandum deſtinaberis, quia fortè tuum munus tibi, & alijs erit utilius. 2. Nunquam imparatus accedas ad Catechizandum, verùm priùs præmeditare quæſtiones proponendas, easq; benè memoriâ teneas, ad vitandam variationem, tum doctrinas, & Fructus, quos debent ex illis eruere. Exemplum aliquod pulchrum provide, quod in fine cum Apodoſi Spirituali dovota, ferventi, per modú Exhortationis propones. 3. Non utaris alia arte, & methodo, præter uſitatam, quapropter monita de ea, ſeriò perlege. 4. Nimias Familiaritates cum Pueris, maximè cum Puellis & Fæminis evita, nominibus Earum Proprijs, maximè diminutivè acceptis, eas non voces, non dicas mea dilecta, meum Cor, quia iſta non pulchrè olent, non mulceas eas ad Faciem *vel* Caput, cum benè diſcunt, quia hoc eſt Periculoſum. Verbo ab omni expreſſione, alicujus erga eas teneritudinis abſtine: hilariter, ſed tamen graviter, te gere. 5. A nimia Severitate,

ritate, increpationibus maximè Seniorum, cave, qui dum non possunt addiscere proposita, ne Animo despondeant, verùm illos lauda, Animũ adde, appromitte, quod addiscent, si se applicaverint.

CONSIDERATIO LII.

De Auditione Confessionum.

PUNCTUM PRIMUM

Hoc mare magnum & spatiosum, manibus illic reptilia, quorum non est numerus. Verè periculoso mari se se committit, quisquis excipiendis se Confessionibus applicat. Ah quot hic reptilia sordida deprehendet! qvot tempestates tentationum, ex tot turpitudinibus, & spurcitijs auditis consurgunt, quot scopuli, Syrtes, & Charibdes difficultatum verè arduarum excurrent, quantâ igitur Sanctitate, scientiâ, prudentiâ instructus debet esse Confessarius, ipse judica. Sancta Catharina Senensis maluit hominem doctum Confessarium, etiamsi improbum, quàm pium sine scientia. O! quàm graviùs errant Duces cæcorum, ipsi milites cæci, qui sine remis, velis, dico sine scientia, cæterisq; huic muneri requisitis huic se committunt mari. Audiunt Confessiones sine scrupulo, absolvunt indiscriminatim, ac si Papæ essent, de plenitudine potestatis, omnia facientes, etiamsi vix primis labris gustaverunt scientiam. Ah! quot animas seducunt imò mactant, quot Conscientias involvunt, quot absurdas resolutiones faciunt, & hoc est, ex magna parte dissolutio- Psal: 103.

nis

nis in Christianitate occasio, quia Confessarij ignorantes, indocti, nesciunt, uti clavibus; aperiunt, ubi non est necesse, claudunt, ubi aperiendum esset; Hinc fit, ut non semel proijciant margaritas ante porcos, & Sanctum præbeant canibus, & indifferenter absolvendo, non arguendo, non instruendo, prebent ansam peccatoribus, ut liberiùs pacent. Vide diligenter quatiliter te huic functioni committas. Medicus imperfectus, homicidam se facit. Indoctus Confessiarius carnifex Conscientiarum.

PUNCTUM SECUNDUM.

Psal: 103. *Confessionem & decorem induisti.* Decorum est & meritorium dare aurem Confitentibus, & opus est, ut sis amictus lumine, sicut vestimento. 1. Lumen necessarium est, scientia competens, debes ad minimum Theologiam moralem callere, nec sufficit, quod eam semel legendo percurristi, & iterùm atq; iterùm tolle, lege, volve, revolve, memoria enim nostra valde labilis, citò obliviscimur, quibus studuimus. 2. Debes habere eximiam prudentiam, ut scias quomodo cum timoratis, verecundis, quomodo cum dissolutis, obduratis, agendum, quomodo cum inhabituatis, cum existentibus, in proxima occasione, quomodo cum recidivis procedenum; quæ remedia contra peccata, quæ satisfactiones imponendæ. 3. Charitatem idq; Paternam, Patrem te utiq; vocant, cum confiteri incipiunt; ergo sicut cum Filijs, cum pœnitentibus paternè agendum, tum condolendo miserijs illorum, tum paternè admonendo, cum necesse est, tollerandum quandoq; est, præsertim insscitiam, dum quid, pro quo confitetur, tum affabilitatem, non increpando, non durè agendo, ne terreantur miseri peccatores, detq; illis

occa

occasionem, sacrilegè retinendi peccata, sed svaviter, mansvetè cum illis agendo, à nimia tamen affabilitate, cum mulieribus est abstinendum, satiùs, & paululùm severiùs, intra Limites tamen prudentiæ tractent, ne aliquem concipiat inordinatum affectum, potiùs revereantur Confessarium 4. Fortitudinem, quando neganda vel differenda Absolutio, ut illam indignè non impertias; magnâ tamen hic discretione, & prudentia, opus est, ne sis vel nimis largus, vel nimis parcus. 5. Intentionem rectam in hac functione, non aliquam Curiositatem, sed purè gloriam DEI & salutem Animarum quærendi. 6. Amorem puritatis, ne auditis spurcitijs, ipse contamineris, sed sis sicut lux, quæ etiamsi, per immunda loca transeat, ipsa tamen, non maculatur. Quando obscena illa audis, aut gravia illa peccata, cave ne aliquâ indignatione, motu extraordinario, admiratione, abjectis, à Confessionali, sigillo præjudicium inferas.

PUNCTUM TERTIUM,

Quotcunque solveris, super terram, erit solutum & in Cælis. Magna sanè authoritas Confessarij, ut qvidqvid ille rectè, decreverit in terris, ratum, & firmum habeatur in Cælis, quapropter, ut dignè hoc arduo officio fungaris, non debes te ultrò ingerere, nisi à Superioribus vocatus, ab illisq; approbatus. 2. Auditurus Confessiones, primo & te. & pœnitentes per brevem orationem commenda DEO, intentionem forma, velle tunc omnes absolvere, supra quos protuleris formam absolutionis. Implora Sanctum Spiritum, ut tibi assistat, te dirigat, & illumet, ne erres; pete gratiam, ne ab aliqua tentatione supereris, aliosq; levando, ipse inquineris. *Cor*

Mat: 16.

mundum

mundum in me crea DEUS, identidem devotè, repetendo. 3. Cordis cuſtodiam diligentem habeto, identitatem per Curſum Confeſſionum, illud ad DEUM elevando, proteſtare Coram DEO, te velle millies mori, quàm aliqua turpi delectatione fædari. Si ſenſeris motus inordinatos, aut quid aliud ex auditis, illud generosè contemne, ſcito illa non nocere, modo non conſentias. 4. Seriò audi, juva, inſtrue pœnitentes, in prudentia tamen, & in doctrina. Cave nimiùm protrahere & cum nauſea aliorum, inutilibus quæſtionibus, e hortationibus, Confeſſiones maximè fœminarum, non ideo tamen præcipitanter, ſine ſatisfactione pœnitentes tuos, debes expedire: in pœnitentijs injungendis, non ſis nimiùm crudelis, in difficilioribus cum venia pœnitentis, ſi ipſe non ſufficis, conſule libros, vel peritiores. Si tamen putas te, rectè omnia perfeciſſe, vel perçepiſſe & judicas te, ſecundùm principia, & fundamẽta, tàm Theologica, quàm Spiritualia, ſi qui timores, anxietates, & ſcrupuli orientur, eos contemne. 5. Poſt auditas Confeſſiones, DEO gratias age, pro felici ſucceſſu, pœnitentes DEO commenda, ut ſincerè ad illum convertantur, & non redeant, ad vomitũ.

CONSIDERATIO LIII.

De Eruditione Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

Malach: 2. LAbia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; multo magis Operarij Evangelici: qui non ſolùm ſterilis eſt Sacerdos, ſed multos Cælo & JESU Chriſto parere filios ſpirituales, infirmitates curare, docere viã ſalutis, ac frutuosè paſcere,

pascere, Verbo ac Sacramento debet. Expende quanta ad hæc necessaria Eruditio. Dominus JESUS, quantumvis illiteratos, ad Apostolatum assumpsit Piscatores, tamen antequam illos, ad prædicandum miserit, replevit illos Spiritu, qui ipsos docuit omnem veritatem, tum dona lingvarum sapientiæ, & scienciæ, illi Ministerio convenientia, ut docerent successores Apostolorum, qui ituri sunt ad conversionem hominum, ad Curam animarum,quæ est ars artium, primo illam discere, bene debere, donoq; scientiæ repleri, & hæc est conditio, sine qua non: Miles sine armis, non pugnat, Judex ignarus legum, non occupat Tribunal,Medicus,non exercet artem, nisi bene instructus, ne imperfectus Medicus, fiat perfectus homicida. Idolum non Pastor est, talentis muneri Pastorali proprijs, orbatus. Et operarius inutilis, imò, noxius est, carens Conventis eruditionis, dono: quomodo enim ipse cæcus, cæcis ducatum præstabit, quomodo discernet inter Lepram, & Lepram, qui discernendi artem non didicit.

PUNCTUM SECUNDUM.

FAtuæ Virgines carentes Oleo, repulsæ sunt, à Sponso. *Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*; quàm horrendum fulmen contra ignarum Operarium, maximè illum, cui & capacitas, & tempus commodum, ad studia non deest. Nihilominùs malunt otiari,divagari,colloquijs inutilibus vacare, quàm tractatum Theologicum, aut Concionatorem, perlegere. Hinc fit, cum necessitas concionandi urgeat, eant imparati, dicantq; parùm, aut nihil ad rem, resolutiones in Con- Oseæ. 4.

Confessionibus, quid, pro quo, suggerant, conscientiasq; fidelium, ob continua dubia, & timores, qui non rarò ex ignorantia, oriuntur, non tàm solvant, quàm implicent. Dominus DEUS præcepit Aaroni, & omnibus Sacerdotibus, ut Rationale, in quo exarata esset doctrina, & veritas, deferrent in pectore, ad inuendum debitum Sacerdotale, ut scilicet, sint convenienter docti, habeantq; animum, acquirendi doctrinam, suæ vocationi, necessariam.

PUNCTUM TERTIUM.

Psal: 2. E*Rudimini qui judicatis terram.* Sacerdotes Judices sunt conscientiarum, Causarum valde obstrusarum, Casuum multorum difficilium, ergo debitè instrui debent, tùm Sapientiam, quæ desursum est, à DEO expetendo;
Sap: 9. *Da mihi Domine sedicum, tuorum assistricem Sapien-*
Psal: 118. *tiam, Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.*
Tum jungendo studia, eorum, quæ ad ejus munus pertinent, præcipuè in morali debet se fundare Operarius. Privilegia Summorũ Pontificum, facultatesq; in illis concessas, nec non aliorum Præsulum, benè nosse. Monita ad proximi salutem pertinentia, relegere, Tædium in resolvendis libris, & illam negligentiam superare, cogitando quod illa Lectio, quæ modò videtur absynthium, valebit aliquando, pro favo mellis. Scientiæ Operam seriam navando, humilitatis non oblivisci, ne scientia inflet. In difficultatibus consulere antiquiores, majorem praxim, & experientiam habentes, nec nimiùm suæ eruditioni inniti, quia etiam Sapientes errant.

CON.

CONSIDERATIO LIV.

De Prædicatione.

PUNCTUM PRIMUM.

QUam ſpecioſi pedes Evangelizantium, inquit Apoſtolus. Illi enī ſunt tubæ Spiritus Sancti, per quas inſonet cordibus mortalium, ut DEUM ament, peccata fugiant, ſalutem operentur: Illi ſunt vaſa pretioſa, portando Nomen dulciſſimum, JESU, coram Gentibus. Illi ſunt Lux mundi, Verbo DEI, ſermonibus pijs, illuminantes mentes hominum; illi Lucernæ ardentes, ad Contemptum terrenorum, & amorem Cæleſtium accendentes; Illi Cæli enarrantes, gloriam DEI, pluentes manna eloquiorum Divinorum, populo ſolitudinem vitæ præſentis deccurrenti; Illi magiſtri virtutum, pietatis, & timoris DEI; Illi Duces ad Cælum; Illi poſt Chriſtum, Salvatores Animarum, per illos innumeri perditi revocantur ab inferno, & offeruntur Cælo, ſi debitè, ſi dignè, ſi in Spiritu JESU Chriſti, & Apoſtolico, inſiſtunt prædicationi; Illis infallibili promittitur Oraculo: *qui docuerit, & fecerit, hic magnus vocabitur in Regno* Rom: 10.

Math: 5.

Isai: 58. *Cælorum. Exalta* ergo, & tu *quasi tuba vocem tuã, annuntians Populo, scelera eorum;* non pigeat te, paululùm laborare, habes fidele in recompen-
Eccl: 24. sam, promissum: *Qui elucidant me, vitam æternam, habebunt.*

PUNCTUM SECUNDUM.

2. Reg: 2. *NOlite loqui sublimia gloriantes.* Si fructuosè populo, tibi meritoriè prædicare desideras, neq; in sublimibus sapientiæ humanæ verbis, non ad ostentationem, non propter sybilum, plausum humanum, non insistendo vanæ Allegoriarum, sensuum, periodorum, scholaris pompæ, hystoriarum, pharagini; sed in ostentatione Spiritûs, & virtutis non nimium clamando, veriùs boando, sed svaviter, affectuosè, devotè, fortiter, tamen virtutes persvadendo, vitia in sectando, prædica; finis & scopus alius tuus non sit, nisi major DEI gloria, ædificatio proximi, exterminatio peccati, secùs, inaniter (Coramne pauperibus vel inclytis prædicas) te evisceras. O! si id inspiceret modernorũ prædicatorum turba! O! JESUM Christum, & hunc Crucifixum annuntiaret! si non fuerint Magistri prurientes auribus, nescio quibus versionibus, Conceptibus, fictionibus, adulteran-

tes

tes Verbum DEI, ut hominibus placeant. O! si hæc servarentur in Lenocinia Rhetorum, & annuntiarentur Veritates Piscatorum, quàm citò Religio vigeret, sanctiùs fidelis populus DEO famularetur, peccata fugeret, vitam sanctiorem amplecteretur. Cave tamen prætextu simplicitatis, sine debita præparatione suggestú ascendere, ne videaris tentare DEUM.

PUNCTUM TERTIUM.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur; Psal: 33. & hoc est primum mediũ Ecclesiastæ, Christiano, fideliter observandum, ut tàm scripturus Concionem, quàm ad populũ dicturus, priùs recurrat ad Patrẽ Luminũ, per ferventem Orationem, quatenùs tàm dicentem, quàm audientes illuminet. 2. Amoveat impedimenta, quæ possent obstare fructui prædicationis, qualia sunt dissipatio, peccata &c. Hinc ante Concionem, paululùm se per mentalem Orationem recolligat, doleat de peccatis, eliciat actum Amoris DEI, protestetur, quod non suam complacentiam, vel hominibus placere quærat, sed purè gloriam DEI, & utilitatem

proximi. 3. Inſiſtat ſolidæ methodo, nec ad ſtylũ, attendat inventionis modernorũ Prædicatorũ, non enim ipſe in ſpiritu Oratorum, ſed Apoſtolorum prædicaturus eſt. 4. Ipſam Concionẽ affectibus ferventibus potiùs quàm multitudine rerum diverſarum, proferendo de theſauro Cordis ſui, nova, & vetera impleat. 5. Curet, ut devotè ad compunctionem dicat, ut Auditores potiùs fleant, quàm rideant. 6. Ita accommodet ſuam Concionem, ut ſapientes ædificentur, & inſipientes percipere, & intelligere poſſint. 7. Non curet obtrectationes illorum, qui obſtrepent, quod ſimpliciter pro rudibus dicas; ita enim neceſſe eſt, cum hi ſint primarium Objectum prædicationis tuæ. 8. Ut devotè & ad Compunctionem concioneris, te ipſum conſerva in ſpiritu devotionis, & Compunctionis. 9. Cura, ut in te illa vitia non reperiantur, quæ in alijs reprehendes. 10. Iturus ad Concionem humilia te coram DEO, & ora ipſum, ſine quo hanc functionem, utiliter peragere non potes, quatenùs tibi ſuam impertiat gratiam, & Benedictionem, & ipſe *dabit Verbum Evangelizantibus Virtute magna.*

CON.

CONSIDERATIO LV.

De Conversatione Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

IN Sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris: Hæc singularis obligatio pœnitentiæ Prædicatorum, saluti animarum addictorum, in sanctitate & justitia ambulare, non tantùm privatim, solus cum solo DEO agendo, sed potissimùm cum hominibus (licet id raro quantùm fieri potest ambiendum) conversando. Tunc enim te oportet esse circumspectum, ne verbo, vel discursu temerè prolato, aut facto minùs rectè scandalizes proximum, ne quod per Conciones frequentes, monita pia, in Confessionibus ædificasti, ne inquam minùs cauta conversatione destruas, opertet te esse in verbis circumspectum, & parcum, in discursu modestum, *ex verbis enim tuis & justificaberis & condemnaberis*, Loquelaq́; tua, te manifestum faciet, sis ne Galilæus volubilis dissolutus, vanitate plenus, an Judæus ob Sanctitatem laudabilis, quapropter cum conversationem cum sæcularibus in, vel post missionem declinare non potes, attendere tibi intime debes, ne in aliquo labaris, maximêq́; in eo casu satagere, ut te spiritualem, ex corde exhibeas: ne illi, qui te putabat domi Carthusianum, foris Apostolum, hominem de Cœlo lapsum, Angelum terrestrem, virumq́; Spiritualem, DEO intime conjunctum, deprehendat in conversationem sæcularem nugacẽ, indevotum, irrecollectum, dissolutum, immortificatum, cuticulam amantem, dicautq́;: *nos autem sperabamus, & ecce & vos similes homi-*

Lucæ. 1.

hominibus, aliud dicitis, aliud agitis. Quapropter Dominus JESUS instruens suos ad conversionem animarum, voluit eos esse Lucem mundi, ut videlicet in Conversationibus, quas ex vi Muneris Apostolici vitare non poterant, prælucerent hominibus vitæ innocentiâ, morum compositione, sermonibus piis, & ad ædificationem servientibus: Idem & tu cura, postquàm te cum sæcularibus agere oportebit.

PUNCTUM SECUNDUM.

Ephes: 5. *Stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, nec nominetur in vobis, sed magis gratiarum actio, sicut decet Sanctos*; vides quæ tibi in conversatione vitanda sunt, ne scilicet in jocos, & cachinnos, aliasq; nugacitates dissolvaris, nec dicas illos sales, illas Jovialitates esse honestas, aut indifferentes, licet sint tales respectu sæcularium, in ore tamen Sacerdotis Operarij Evangelici, Præconis pœnitentiæ, sunt blasphemiæ. Decet ne proh dolor! virum illum, qui alios ad pœnitentiam, ad lachrymas excitare tenetur, in risus jocos, Ineptias, quas nescio effundi? decet ne hominem Spiritualem, discursum scurrilem in medium proferre? decetne hominem planè Angelicum, tantummodò de brutalibus, cibo, potu, quiete differere? decetne illum cujus conversatio in Cælis esse debet, tantummodò de terrenis, vanis, futilibus discurrere? Discurre coram DEO, quæ ex talibus colloquijs ædificatio proximi, qui à te audire desiderabant verbum salutis, & non audiunt, nisi nugas vanas, sæcularia. Perpende, quam ex inde habebis reputationem. Mi DEUS tractant fabrilia fabri, nautæ enarrant pericula maris, agricolæ de fructibus terræ loqvuntur, at Viri DEI de DEO, & Divinis nihil.

nihil. Præco lachrymarum totus in jocis, homo Apostolicus, quem gravitas decet, totus in levitatibus. Ah relinque vana vanis, nugas & sales scurris & hystrionibus, te autem gere, sicut decet Sanctos.

PUNCTUM TERTIUM.

Nemini dantes illam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nos, sicuti DEI ministros. Cum igitur Conversationem refugere non possumus, modestè imò juxta monitum Apostoli, justè, piè, sobriè in illa nos geramus, considerando quòd illi sæculares, diligenter notant, tanquàm Catones verba, gestus, discursus nostros, & forte, ideo, ad conversationem protrahunt, ut investigent an mores nostri correspondeant doctrinis, quibus eos imbuimus. Ah quam cautè hic tibi agendum! quapropter loquere pauca, quia in multiloquio non deficere, vix possibile. Spirituales identidem misce discursus, profanos captata occasione ad spiritualitatem contorque. Familiaritates evita. In cibo, & potu, sis temperantissimus, nec permittas te protrahi ad laxiorem potum, quia forte offertur ad tentandum te. Cum autem iturus es ad conversationem, provide occasiones, pericula, & constitue, quomodo te in illis geres, in ipsa conversatione memor sis præsentiæ DEI, tibiq; ipsi diligentissimê attende. Si audieris ab alio indecentia proferri, ea cum svavitate, ad bonum converte, aut prudenter reprehende. Verbo Angelum te exhibe, velut Tobiæ socius, qui quamvis videbatur conversari, manducare, negotia tractare, cum hominibus, semper tamen mansit Angelus.

CON-

CONSIDERATIO LVI.

De Fuga Amicitiarũ cũ Sæcularibus.

PUNCTUM PRIMUM.

Psal: 105. *Commixti sunt inter Gentes & didicerunt opera eorum.* Deflet Sanctus Rex occasionem ruinæ Filiorum Isràél; qui postposito Domino DEO suo, prodigia, & portenta, pro salute eorum operante, propter amicitiam, familiaritatem, & commertium cum Gentibus, non erubuerunt falsos DEOS colere, idola adorare, dæmonijs Filios suos immolare. Quanta cæcitas! ad eandem calamitatem deveniunt illi Spirituales, qui amicitias cum mundanis, familiaritates cum sæcularibus, quærunt. Ah! quoties postposito virtutis cultu, imò DEO ipso, & salute propria, multorum vitiorum, ac nefandorum peccatorum, idolis se inclinant, gratiam vocationis abijciunt. Expende cum lachrymis, quid commodi illæ divagationes, tàm frequentes visitationes mundanorum, tibi attulerint. Ah quomodo non semel ob eorũ respectum, regulam violasti, non semel adulari, assentiri eisdem, etiam cum læsione

Con-

Conſcientiæ debuiſti, verbo, cum Corvis crocitaſti, audiviſti, quod non decebat, vidiſti quod non expediebat, non rarò cum ſcrupulo, utinam non cum peccato domum redieris; aurem vanitate, cor impuris affectibus, phantaſiam multis tentationibus, oneratam reportaſti, libertatem quandam aſſumpſiſti, amorem mundi, nauſeam Spiritualium in te experieris; jam tibi diſplicet vita communis, non ſapit ſolitudo, vocatio vileſcit, ad majora te natum reputas, de promotionibus cogitas: Ah! quã ſanctè dixit Sanctus: *Quoties inter homines fui, minor homine, redij.*

PUNCTUM SECUNDUM.

NEmo militans DEO, implicat ſe negotijs ſæcularibus; multò minùs familiaritatibus, & amicitijs inutilibus, quæ Spiritum devotionis extingvunt, à DEO, & vocatione, avocant, in pericula ſexcentorum Lapſuum inducunt, cum mulieribus ineptias, notitias, tandem confidentias, ad extremum deplerandos Caſus, accelerant, verè dici poteſt, præſenti ſæculo, antiqvum illum ſerpentem, hâc Lagenâ Concludere ſpirituales, eiq; ipſos involvere, à DEO, & vocatione extrahere, adeò, ut ſerò fateri

2. Timot: 2.

cogantur, amicitijs fæcularibus eluſi. *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorſum*, ut, à DEO receſſerim, vocationem deſeruerim, ſpe promotionis à Magnatibus, quorum amicitiam ambivi eluſus, ab omnibus nunc derelictus factus ſum in parabolam, & Monachũ amiſſi, & Senatorem non feci. Ne & tu, in eundem incidas laqueum, fuge, imò deſeras amicitias, cum fæcularibus, ne cum perverſis pervertaris, in Angulo cum Libello, diligenter inhabita, alienus fies ab aura mundana, & à multis tentationibus te expedies. Antiqui Eremicolæ, fugiebant in ſolitudinem, ut ſe, à Converſationibus fæcularibus expedirent, & ſic Liberiùs DEO vacarent. Et tu eas maxime Magnatũ, quantùm potes fuge, intimam cum JESU amicitiam cole, & nullus tibi poterit nocere inimicus, inveniesq; in terra Paradiſum.

PUNCTUM TERTIUM.

Pſal: 4. *Filij hominum ut quid diligitis vanitatem*; vanitas eſt, gaudere amicitijs Magnatum, imò ipſorum Regum, & Principum, quare, noli illis blandiri, & coram Magnatibus, non libenter,

appa-

appareas: non adibis ergo ipsos, nisi quando & quantùm obedientia permiserit. 2. Si ex Officio, & decoro, eos visitas, non curabis illis agglutinari, aut nimiùm placere, sed expeditis, prudenter expediendis, Domino DEO, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, soli placere studebis. 3. Ad nihilum valere amicitias mundanorum, nisi ad maculandum Cor, & denigrandam famam tuam: in illis enim familiaritatibus, ostendis quid sis? defectusq; etiã crassos, ob nimiam confidentiam, non evitas, quos advertentes mundani, incipiunt te contemnere, minorem tui æstimationem accipere, defectus tuos coram alijs publicare, & quando, tu putas te maximè illis placere, magis incipis displicere, ex morum improbitate. Quare dimitte vana vanis, & cum JESU à turba mundana declinare stude; nunquam quantùm fieri potest, cum sæcularibus te occupa, & habebis bonam Conscientiam, solitudinem ama, voca ad te Christum dilectum, & cum eo, quantùm placet conversare. Verbo, scias meliùs homini latere, & sui curam agere, quàm Regum, & Principum, imò totius mundi amicitijs, se neglecto gloriari.

CONSIDERATIO LVII.

De Diligentia, in Servitio Divino.

PUNCTUM PRIMUM.

Jerem:48. *Maledictus qui facit Opus DEI negligenter.* Considera, etiamsi nullum aliud motivum daretur, quod nos ad diligentiam in servitio Divino, excitaret, certè fulmen hoc maledictionis horrendum, ita perstringere deberet, ut dignè DEO serviamus, ut opera ad DEI gloriam ordinata, quam diligentissimè exquisitissimèq; peragamus, ne illam maledictionis Divinæ sententiam incurramus; quid mihi proderunt omnia, si à DEO maledictus ero. *Expende* 2. Quis unquam herus pateretur servum talem, qui remissè negligenter, & quasi dormiens laboraret, una die illum non pateretur, sed de domo sua pelleret, ita Dominus DEUS servos illos remissos, tepidos, qui meditationem oscitando, lectionem dormitando, examina, sine fructu absolvunt. Confessionibus, Concionibus taliter qualiter peragendis vacant, incipit evomere de ore suo. Hinc est quod tam multi recedunt à DEO, & vocatione,

& re-

& redeunt ad Ægyptum Mundi, velut ingrati Judæi, quia nauſeant ſupra cibo Cæleſti, Spiritualibus duntaxat exercitijs, non ſapit Panis ille Angelicus, plùs placent cucumeres, & ſordidæ cæpæ libertatis, & voluptatũ mundanarũ: time hunc ſtatum, ad quem trahit & deducit tepiditas. Expende ultra ſi artifex opera ſua impolitè, ruditer, ſine debita exactitudine perageret, quid putas lucraretur? certè parùm, aut nihil, ita frigidus in ſervitio Divino, negligens in operibus pietatis, remiſſus in eis, quæ ad DEUM pertinent, non lucrabitur aliud, niſi ut vapulet multis, aut bene caſtigetur in purgatorio, ut DEUS deneget ipſi partiales gratias, auferat benedictionem ſuam ab eo, ſi igitur cupis o homo! lucrari apud DEUM, in hac vita, contende annumerari illis Operarijs in vinea, qui & ſi hora duodecima vocati, parem tamen receperunt mercedem, ob diligentiam, & ſedulitatem in laborando cum illis, qui primo mane vocati, remiſsè ſe, applicuerunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

P*Rudentiores ſunt Filij tenebrarum Filijs Lucis*, Luc: 16.
Ah mi JESU, juſtè nos, his verbis, ad rubo-
rem, imô ad lachrymas confundis, veriſſimũ

etiam eſt, plùs mundanos homines propter dæmonem, mundum, carnem, ſolatia, aut lucra peritura, laborare, quàm nos, qui videmur eſſe Filij Lucis, propter DEUM, & præmia æterna. Quis, inquit Dominus, tantâ Curâ mihi in omnibus ſervit, ſicut mundo, & Dominio ejus; aulicus, ut gratiam & favorem Domini lucretur? quomodo ad unicum nutum Domini, invigilat, ad defatigationem adſtat, non rarò fame, ſiti torquetur, tantummodo, ut Domino temporali inſerviat: Ita ne nos Regi ſæculorũ, pro gratia, & gloria interminabili, ſervimus? videamus mercatores, pro miſero Lucello, agricolas pro fruſto panis, quot labores, curas, & incommoda ſuſcipiunt, quid milites pro vana gloria, non faciunt, vitam ipſam, quâ nihil carius eſt, ſexcentis, exponunt periculis. O! mi Deus, *Cõfuſio operuit faciẽ meã*, quia tibi Domino DEO, ita diligenter, ita exquiſitè, cum tanto ſtudio non ſervio, qui mihi promittis æterna, imò ſi non promitteres, ipſa dignitas tua exigit à me infinita, ut tibi propter te dignè, devote, fideliter, & exactè ſerviamus. Defleo mi DEUS, omnes negligentias, in tuo ſervitio commiſſas, ſtatuo diligentiùs, Majeſtati tuæ ſervi-

re:

re: tu tamen, mitte ignem, quo, tuos Apoſto-
los inflammaſti, qui me accendat, teporem
excutiat, ut ferventer, diligenter, exquiſitè me,
in tuo ſervitio, geram.

PUNCTUM TERTIUM.

SErvite Domino in Lætitia; ergo amovenda tri- Pſal: 99.
ſtitia, acedia, tepor, à DEI ſervitio, qui pro-
pter ſuam infinitam excellentiam, dignus eſt,
ut ipſi diligentiſſimè ſerviatur. Si Dominis
temporalibus, ita exquiſitè ſervitur, quantò ma-
gis Domino Dominorum, Regi Regum, nos
ſervire neceſſe, ut autem hanc diligentiam aſſe-
quamur. 1. In omnibus actionibus noſtris,
Conſiderandum, propter quem finem, exerce-
atur, ſi propter DEUM; ergo Divino planè
modo, ut dignitas Divina, & noſtra Conſcien-
tia easdem peragendi obligabunt nos. 2. Pri-
mam actionem diei, illam in quam, à ſomno
excitationem, quàm ferventiſſimè expedire,
certe de illo fervore, participabunt aliæ occu-
pationes, ob repentem teporem generosè excu-
tere, etiam tantùm proficies, quantùm tibi, vim
intuleris. 3. Suo quantum fieri poteſt tempo-
re, quæ agenda ſunt, agantur, nam omnia tem-
pus habent, illæ autem dilationes, ordinariè

ſunt

ſunt ſigna negligentiæ, & ſocordiæ ſpiritualis: Tum quia ſic dilata, negligenter, præcipitanter, & ad oculum tantùm fieri ſolent. 4. Applicare ſe, ſeriò, ad opus Divinum, emundando tunc obrepentes, inutiles, cogitationes, ſolicitudines, ut Sancta ſanctè tractentur. 5. Non negligere, nec intermittere ſpiritualia, etiamſi non ſentiatur fervor, quinimò illis ſeriò inſtandum, donec obligationi ſatisfiat, non enim DEUS ſemper paſcit ſuos ſervos dulci mannâ, aliquando etiam duris panibus. 6. Conſiderare, ad quid proſunt pijſſima etiam opera, ſi non ſatis piè peragantur, DEUS ea non acceptat, qui non quantum, ſed ex quanto conſiderat, & ponderat, niſi fortè, ut igne purgationis, benè coquantur, time hoc, & eſto diligens.

CONSIDERATIO LVIII.

De Fortitudine Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

E*Stote fortes, & pugnate cum antiquo ſerpente & accipietis Regnum æternum,* Apoſtolis id dictum, canit Eccleſia. Succeſſor es Apoſtolorum, ergo indue fortitudinem, & præcinge te virtute, pugnandum eſt tibi cum dæmone verſutiſſimo, carne, mundo, & peccatoribus perverſis; Ah quam potentes iſti hoſtes! dæmon per inſtru-

menta

menta ſua, opponet ſe miſſioni, ne ſuam meſſem ob converſionem peccatorum perdat, ſuſcitabit contra te malevolorum linguas, inſtigabit iniquos, qui populum à devotione retrahunt, pro ſuggeſtu etiam ſine rubore, contra clamabitur, ſiniſtrè tui labores traducentur apud populum, & cum iſta, antiquo ſerpenti, non ſucceſſerint, mundum, & peccatores obduratos accendet, ad detractiones, calumnias, aliasq; machinas, quâ privatim, quâ publicè molietur, ut tam Sanctum opus impediat, Operarios perturbet, & ferè, ad deſperationem de infelici ſucceſſu inducet, verùm ſi Generoſus Heroes in Caſtris Chriſti cupis evadere, illud principium tene, quod propter DEUM incepiſti, illud proſequere, animum ne deſpondeas, DEI cauſam agis, quinimò, imitare aviculam illam Allegen nuncupatam, quæ fluctuans in procelloſo mari, tunc dulciſſimè canit, cum maximâ tempeſtate opprimitur. Idem & tu præſta, inter maximas difficultates, calumnias, perſecutiones, cum Pſalte cantando. *Fortitudo & Laus mea, Dominus.* Exod: 15.

PUNCTUM SECUNDUM.

F*Ortes facti ſunt in bello.* Laudantur Machabæi, & quæ ſunt bella tua, ſeu occaſiones in quibus, datur campus exercendæ fortitudinis. *Scito*; 1. Virtutem hanc Conſiſtere in aggrediendis, & ſuſtinendis arduis, hinc cum tibi aliquid demandatur, cui te imparem ſentis, cumq; expoſueris inſufficientiam tuam Superiori, ipſe nihilominùs, te urget, DEO te commenda, & ſtrenuè mandata exequere. 2. Propter nullas oppoſitiones, perſecutiones, à bono opere (priùs conſulto DEO) incepto vel inchoando, deſiſtas. In tentationibus, ne hoſti manus victas offe- Hebr: 11.

ras,

ras, ei resiste fortiter in fide, ubi agitur de offensa DEI, quodq́; boua conscientia præstare non potest, nullo respectu cujuscunq́; Personæ, nec minis, nec donis permittas te superari, exemplo Susannæ, quæ maluit incidere, in manus impiorum, quàm peccare in conspectu DEI, monendus est aliquando proximus, vel resistendum malis ejus conatibus, & hic opus resolutione. Verùm, quia hæc virtus in sustinendo magis elucet, aliquas ejus occasiones, expende; Exempli gratia: ab officio amoveris, esto vir fortis, injustè calumniaris, convitijs turpissimè fædaris, esto vir fortis: Confingantur cótra te, quibus nec somniabas, sustine, & exemplo Domini JESU, tace: alij extolluntur, tu manifestè contemneris, ac si inutilis, frustra panem devorans in Angulo relinqueris, sustine, difficilia hæc quidem naturæ videntur, si tamen strenuè exemplo Christi Domini, multorumq́; Christianorum (qui jacturam honoris, famæ, bonorum imò vitæ, æquaniminiter sustinuerunt) patienteq́; tuleris, mirum animæ consequeris solatium, & tanquàm Samson in ore discerpti Leonis, patienter humiliationes, despectus, persecutiones, neglectus, Calumnias tolerando, favum mellis, Cælestis inquam Consolationis reperies.

PUNCTUM TERTIUM.

COnsidera media huic proposito accommodata. 1. habere bonam Conscientiam, & cum illa sive aggredi difficilia, sive ferre adversa, erit facile. 2. Confidere, DEUM sibi in necessitate affuturum. 3. In obedientia cæca, se fundare. 4. Humilitatem, ut pote huc necessariam intimê colere. 5. Nihil inconsultô DEO, aggredi, imô in arduis ad DEUM, per orationem, recurrere, ipsi exponen-

da

da gravitas, ad pedes JESU Christi Crucifixi aperiendum cordolium, certè minuetur dolor. 6. Ad nullam rem creatam affixum Cor habere, aliàs non amittitur sine dolore, quod cum amore possidetur. 7. Intueri exemplũ Christi, & aliorum Sanctorum, qui longè plura passi, ea tamen in silentio deglutierunt. 8. Si natura in adversis murmurabit, conqueret, erit mortificatione coercenda.

CONSIDERATIO LIX.

De grata Susceptione Correctionis.

PUNCTUM PRIMUM.

SI peccaverit in te frater tuus, corripe eum; ita per peccatum primi hominis, depravata est natura nostra, ut non solùm in Leviores culpas, sæpè incidamus, verùm etiam, non rarò, in lethales, easq; graviſſimas noxas, errore, & ignorantiâ in intellectu, malitiâ in voluntate prædominantibus, præcipitemur; & quamvis hæc veritas, omnibus mortalibus, apprimè sit nota, ut pote lapsæ in primo Parente soboli, ut justè in proverbium sit assumptũ: *Nemo sine nævo*; nihilominùs, nihil molestiùs misero homini, quàm defectuum suorũ admoneri: Et quamvis nos omnes, fateamur in communi peccatores, dum partialis defectus noster detegitur, de illoq; charitative arguimur, irascimur, non rarò coram alijs conquærimur, murmuramus contra arguentem, antipathias, imò odium concipimus, ac si nobis summa injuria irrogata esset, quod vulnus animæ periculosum, absq; ullo dispendio nostro ab amico diligente curetur (verùm quantùm erramus serio Mat: 18.

conteplemur. Si ferox equus permitteretur divagari, cursitareq́; quo ipsi luberet, nullusq́; esset, qui extra viam disgredientem fræno compesceret, non ne gravi periculo committeretur, non ne rueret in præcipitium; ita profectò illi eveniret, qui non pateretur paterna admonitione, ad orbitam revocari, de qua vix possibile homini fragili, aliquando non excidere: nec dicas: te non indigere alterius Censoris oculo, cum ipse tibi sis perspicacissimus, severissimusq́; morum suorum Censor, non dicas inquam, quia plùs vident oculi, quàm Oculus, tùm quia tu philaucià obcæcatus, sic tibi defectum aliàs notabilem, varijs amoris proprij, penicillis depingis, ut tibi videatur rana Diana, facileq; persvadeas id ab honestate, regulisq́; morum minimè dissentire, cum tamen nec DEO, nec Confratribus placeat, nec regularitati, Spirituiq́; tuo, sit conforme: necesse est igitur, ut ab alio, juxta præceptum Domini corripiaris, cum nemo in propria Causa, possit esse justus Judex.

PUNCTUM SECUNDUM.

Eccl: 10. *Vir prudens, & disciplinatus, non murmurabit correptus*; velut enim non irascimur speculo maculas Corporis repræsentãti,imò nec medico scelera & excessus, qui fuerunt causa alicujus infirmitatis, nobis liberè exprobranti, multo magis indignari non convenit,Medico spirituali, vulnera, & maculas animæ, in charitate, cumq́; omni, qua potest industria, ne nos offendat detegenti, & certè, si ex odio, aut passione, arguemur, posset offendi humana fragilitas (quanquã vir fortis, & cordatus, minimè hæc considerat) verùm agit nobiscum tanquam discretus medicus, qui antequàm amariorem pillulam,

ægro

ægro præbeat, prigillam deaurat, odoriferoCynamomi pulvere conſpergit, tandem grato liquori immerſam propinat, ut priſtinam reſtituat ſanitatem; pari ratione, Superiores noſtri, antequàm nos corrigant, primum à longè diſponunt, tempus opportunum captant, tandem verbis idq; perpaucis defectum inſinuant, pro bono noſtro & fructu ſpirituali: quis igitur delicatum ita ſe faciet, ut bolulum correctionis fraternæ deglutire non valeat, quis reſolutè non dicat: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me.* Fatendum quidem eſt, non eſſe in poteſtate noſtra, aliquos motus, & triſtitias, ex admonitione inſurgentes, non ſentire, & quamvis Pars ſuperior, & corde appetat commoneri, ut perſpectis defectibus diligentiùs illos evitet, & in perfectione celeriùs proficiat, pars tamen inferior, non refugit omnes d fficultates, illicò ſubmurmurat, & neſcio, quas inquietitudines experitur, verûm ad has ineptias advertendum non eſt, modò illis, non conſentias, ſed Cor in DEUM elevandum, dicendo identidem in Spiritu humilitatis: *digna factis recipio*, illaq; repugnantia, quantum fieri poteſt vincenda, cum humilitate, tum conformitate ad voluntatem Divinam, tùm familiari colloquio cum eo, qui nos coarguit, tum invitâ patientiâ, nec ſe excuſando, aut contendẽdo, vel coram alijs referendo, nullum ſolatiũ inqvirendo, quinimò in corde gratias DEO agendo, pro illo lumine, quod per Correctionem tibi impartitum eſt, perſvadeas tibi, meliùs eſſe à Sapiente corripi, quâm ſtultorum adulatione decipi. Poteſt aliquando ſuboriri tentatio, imò, & à parte rei, verum eſſe, nos illius defectus de quo coarguimur reos non eſſe, nihilominùs & in

Pſal: 140.

eo casu, grata debet esse Correctio, fortè in illum defectum prolapsuri eramus, igitur Deus clementissimus, occurrendo lapsui nostro, tanquam antidotum, illam admonitionem ordinavit. *PUNCTUM TERTIUM.*

Prov: 27. M*Eliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*, inqvit Sapiens, ut igitur dulcescat tibi admonitio, cogita non ab inimico, sed ab intimo amico, teq; tenerè diligẽte, illã tibi dari, neq; eo fine, ut irriteris, conturberis, aut mortificeris, verùm, ut charissimus amicus, monearis, illud, & illud in te alijs displicere, quod tu in te minimè advertis. Quia tamen Correctio, est quoddam vulnus, qvamvis à diligente inflictum, ideò nos corripi videmus, obfirmandus est animus, & benè præparãdus, ad generosè suscipiendũ, hunc ictum, tùm auxiliũ desuper implorãdo, tùm etiã vim superbo animo inferẽdo, & se excorde humiliãdo; bonũ est mihi quia humiliasti me, vilior fiam, plusquã factus sum, & ero humilis in Oculis meis. Assvescere praxi frequenter, aut saltẽ tribus vicibus in Anno, petendi admonitonẽ, & ita fiet, ut ab assvetis non fiat passio. Persvadere sibi omninò necessariã nobis esse Correctionem, ad faciendum profectum in virtute, à qua retrahunt defectus nostri, qvos nos non videmus; plerumq; igitur, opus est, ut nobis, ab alio demonstretur; nunqvam in malam partem interprætari admonitionem, sed in corde humili, & simplici, ut medicinam æger recipit, grato animo acceptare. Qvia tamen in deplorando naturæ lapsæ statu, passiones non subsunt dominio voluntatis despotico, hinc fit, etiamsi aliquando, nolles sentire ullam repugnantiam, nihilominùs contra volũtatem insurgunt, qvidam motus inpatientiæ, tristitiæ,

aversi-

aversionis à corripiente, illos tu minimè Cura, qvinimo strictissimè silentio, & invictâ patientâ opprime. Sicq; in patientia tua possidebis animam tuam, post aggregationem loco examinis, disqvisitionis, Correctionis factæ, vade ad Christum Crucifixum, ad illiusq; pedes, illam Correctionem, justa ne sit, vel injusta, magnô animô repone, indicibile exinde accipiens solatium.

CONSIDERATIO LX.

De Fuga Prætensionis Commoditatum.

PUNCTUM PRIMUM.

CUram carnis ne feceritis in desideriis, monet Apostolus, quæ utpote, de terra assumpta, semper tendit deorsûm, spiritumq; sursum, ad suum principium, se se elevantem violenter post se abripere contendit, quod si efficiat Hominem commoditatibus deditum, coæquat Brutis, quæ appetitu sensitivo, tantummodo aguntur, Operariumq;, aliàs aptissimum, ad promovendam animarum salutem, ad DEI gloriam dilatandam, maximè idoneum, reddet inutilem, segnem ex Apostolo, cui dudum, Mundus crucifixus esse debuerat, & Ipse mundo efficit sordidum Epicurum: Si etenim non jacet in molli veneranda scientia lecto, multò magis Zelus salutis, non invenitur in terra svaviter viventium. Zelus etenim urgebit, ad strenuè laborandum, Confessionibus seriò instandum. Cura Cuticulæ, ad quiescendum, vel divagandum. Zelus salutis premet, ad incommoda quæq; subeunda, in cibo, potu, qviete, Cura cuticulæ è contra, si in ijs defe-

Rom: 13.

ctus

ctus contingat, illicò murmurabit, diu dormire, cibis exquisitis vesci, Potu generoso impleri, otio indulgere, hoc illi pergratum erit, Zelus salutis, ad vigilandum stimulabit, somno destinatas horas abbreviabit, Cura cuticulæ, jam sibi deesse vires conqveretur, si de somno aliqvid detrahendum erit. Zelus animarum, ad negligendam, aut differendam, etiam consvetam qvandoq; refectionem adstringet, prout ipsi Domino DEO contingit, qui triduo circa turbas Laborans, de refectione tam sui, qvam turbarum viæ tertiô die cogitavit. Cura cuticulæ de ventre implendo, adhuc in cubili erit sollicita, sicq; cura Carnis opprimit & extingvit spiritum Apostolicum. Nemo enim potest duobus Dominis servire, DEO, & mammonæ, propriarum commoditatum.

PUNCTUM SECUNDUM.

Psalm: 72 *UT jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Ita debet tractari Apostolicus Operarius, ut jumentũ, multùm laborare, parûm manducare, diu vigilare, modicùm qviescere, ita etiam qvidam de se dicebat: *Ego & asinus unum sumus*; & velut asino nõ apponentur amygdala, & oriza, sed pauxillum fæni, contentus esse debet, etiamsi gravia onera & verbera sustineat, non raroq; pluribus plagis, quàm paleis tractatur, quantumvis tota die laboraret; ita Operarius quantumvis sibi videatur multum laborasse, nullas exemptiones, privilegia, commoditates extraordinarias, qværere debet, sed ordinarijs contentus sit, imô & his deficientibus, sciat cum Apostolo, in æquanimitate abundare, & penuriam pati. Ex sacris eloquijs docemur, mare illud æneum, in Templo Salomonis extructum, in quo abluebantur victimæ offerendæ, imò, & Sacerdotes offerrentes, non ab alijs

anima-

animalibus portari, nisi à bobus, non aliam ob causam, nisi ut discant illi, qui portaturi, prædicaturi, sunt populo pœnitentiam, in ablutionem peccatorum, (cujus mare illud fuit typus) debere assimilari laboriosis bobus, qvi qvantùmvis, tota die laborent desudent, nihilominùs parcè valde viliq; pabulo à Dominis tractantur. Ideo omnes animarum Zelatores, immoderatam carnis curam, graviter detestati sunt, scientes: *quæ seminaverit homo, hæc metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem*; qvapropter sic in carne vixerunt, ac si carne obvoluti non essent; serminârunt in spiritu, de spiritu messuerunt vitam æternam. Patet id in Domino nostro JESU Christo; & ejus Apostolis, nec non in Sancto Joanne, à DEO misso, qvi prædicturus pœnitentiam, mel Sylvestre, & locustas edebat, seminudus, cameli pelle præcinctus, jejunio exhaustus, de eremo prodijt. Sanctus Franciscus Xaverius, cum iejunijs, flagellis, alijsq; mortificationibus, sibi non parceret, tunc prmum Austeritate vitæ, ac sanctitate, Apostolico muneri, maturus evasit. Pudet te qvi Apostolicus Operarius es, & apostolus haberi cupis, & nescio, quæ prætendis oblectamenta, commoditates meliores, quàm forte in mundo habuisti, factusq; es delicatior sub paupere JESU, qvam fuisti sub divite mundo. AdGal: 6.

PUNCTUM TERTIUM.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, ait summa veritas, ibi voluptatum, commoditatum theatrum, illuc remittendi delicati Apostoli, qui benê vestiti, lautè, & ad palatum tractari prætendunt, *qui vero Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs, &* Mat: 11. ad Gal: 5.

Concupiſcentijs, tota die mortificationem JESU, in ſuo corpore, circumferunt. Cupis & tu, JESU evadere diſci- pulus. crucifige carnem, voluntarijs macerationibus, pœnitentijs, noli prætendere ullas exceptiones pro laboribus qvibuscunq; qvi nondum ad ſangvinem Laboraſti: tum qvia reciperes mercedem, in vita; ah quam miſerabilem! Patienter tolera defectum, qvi nimò gaude, cum ſe offert occaſio alicujus mortificationis, fortè illam minùs curas, ecce DEUS ipſam tibi offert, ſuſcipe igitur, tanquam à Paterna manu DEI, oblatã, dic tibi ipſi. O! quot pauperes ſunt in mundo, qui talem Commoditatem, non habent, qvantam ego, beatos ſe exiſtimarent, ſi partem iſtorum haberent, imò ego ipſe, ſi in mundo manſiſſem, neqvaqvam tales commoditates habuiſſem, quid ergo vanus prætendo? interroga te ipſum, ad quid veniſti, ad quid mundum, cum ejus pompis reliquiſti? non ne, ut pauperem JESU amplectereris, non ne? ut carni bellum inditceres? non ne, ut JESU Chriſto crucifixo conformareris? erubeſce, ſi non ſatisfacis tuo propoſito. Concipe odium, contra carnem, quæ ſemper adverſatur ſpiritui: quinimò, ſpiritu ambulare ſtude, & deſideria carnis, non perficies.

CONSIDERATIO LXI.

De Officijs erga Superiores Honor.

PUNCTUM PRIMUM.

HOnora *Patrem tuum, ut ſis longævus, ſuper terram.* Si Patri Carnali, qui curam Corporis

ris habet, debitus honor, ſtricto DEI mandato, exhibendus eſt, ad quẽ præſtandum Patri Spirituali Obligatus non es, animæ tuæ Curam gerenti? quo enim dignior anima, Corpore, eò plùs debes tutori animæ, quàm Corporis, ne movearis humanis rationibus, quod Pater tuus ſpiritualis, non videtur tibi, ſuperbiâ, & ſui æſtimatione excæcato, ea talenta naturæ habere quæ illud officiũ requirunt: quis ènim es tu, qui audes ordinationes DEI, ipſum tibi præficientis, emendare, meliusq́, quàm DEUS, de rebus judicare, & ordinare; quis es tu? qui longè digniorum, magis ſpiritualium, ſpiritusq́ vocationis præditorum, quàm tu, Concordibus calculis, ipſum ad hoc Officium, tanquàm dignum promoventibus, obſiſtere, contradicere præſumis. O! ſuperbia Luciferina! apparet profectò ne ſcintillam te ſolidæ virtutis, veræ pietatis, humilitatis, Conformitatis cum voluntate DEI, ſpiritùs Divini habere; ſiquidem non Divinis, ſed politicis movearis principijs. Mundanorum eſt, dignitatem hominis, ex cultu, ſatura metiri, ſervorum DEI, ex virtute, & DEI voluntate: Hinc apud ipſos, proinde eſt, ſcopæ ſordidæ, ſi illis proficeretur obedire, ac ſenſato,

& Authoriſativo, apud Mundum accepto homini: imò ipſius Domini DEI maxima eſt, non elegantes ſecundum intuitum humanum, dignos alijs præponere, verùm illos, in quibus beneplacitum eſt ei. Putabat Samuel. 1. Reg: 16. Eliab filium Iſai, ad Capeſſenda, pro Saule ſceptra, à DEO ſubſtituendum, erat enim procerioris ſtaturæ gratus, & Conſpicuus. Attamen Dominus dixit: *Ne reſpicias vultum ejus, neq; altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis, ego judico, homines & enim vident æa, quæ patent, Dominus, autem intuetur Cor*; vides quàm facilè aſſequi potes, quo ſpiritu movearis, carnalinè, mundano, an Divino?

PUNCTUM SECUNDUM.

QUa propter magnam interiùs, de Prælato tuo quisquis ille ſit, tanquàm de Perſona, ab ipſo Domino DEO Conſtituta æſtimationem Concipe; illamq; exteriùs dictis, & factis, maximè coram externis teſtificari, ſtude. Omnes ordinationes illius, tanquàm ab oraculo Divino, promanantes, accipe, bene de illo ſentias, cum turbaq; Evangelica illius diſpoſitiones ſincere approbando dic: *Bene Omnia fecit.* Cum ſe obtulerit Occaſio, ſemper honorificè de illo

Loquere:

Loquere: detractiones, murmurationes, contra ipſum, quantum potes impedias, eris Longævus ſuper terram. *Reverentia erga eosdem.* Præter honorem Patribus Spiritualibus debitũ, reverentiam quandam, ac timorem filialem, erga illos præſeferre tenemur. Acceptum eſt & enim DEO Iſràél, ſtare in reverentia, in bonitate, & Alacritate animæ ſuæ, ut innuit ſapiens. & profectò, ſi Patres carnales, quia nobis antiquiores ſunt, ab ijsq; eſſe traximus, à natura revereri, edocti ſumus: quomodo à Domino DEO nobis Præpoſitos Viros, glorioſos, & Parentes noſtros, in generatione ſpirituali, reverituri non ſumus. DEI enim miniſtri ſunt, nec ſine Cauſa, gladium portant, vindices in iram ei, qui malè agit, ergo reverendi, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter Conſcientiam. Et quantumvis Rectores noſtri à DEO poſiti, gerunt ſe, tanquam unus ex nobis, noſtra tamen obligatio, urget, non ruſticiter, non inurbanè, & nimiùm familialiter, ſed honorificè, & cum reverentia, cum illis agere: verùm ah! quantum in iſto Officio, defuimus; non ne illos ſemel: tumidè, & ſine reſpectu alloquimur, contradicimus, nullam reverentiam exhibemus,

verùm liberè imò, ruſticiter, coram illis agimus, ſimplicitatis quidem Colore, in urbanitatem noſtram depingimus, cum ſit merè ruſticitas, & barbaries juſte nobis poſſunt oggerere: *Si Pater tuus ſum, ubi eſt honor meus?* ſi ſuperior, ubi eſt timor? Dominus JESUS, quantumvis, cum ſvavitate, ac reverentia Principẽ Sacerdotem allocutus, nihilominùs, injuſtè alapâ ceditur, tibi ab Angelo Cuſtode impingenda eſſet, qui ſummum Sacerdotem maledicis, lingvâq; tuâ velut gladio acuto, Cor ipſius ſaucias. Non mireris, ſi ſe tibi alienum oſtenderit, conſvetumq; affectum, erga te ſubtrahat, *qui perdit reverentiam erga proximum, derelinquetur ab eo*, dicit Sapiens. Optas tibi ſuperiorem benè affectum, honora, & revereris eum, & pro reverentia, accedet tibi bona gratia.

Amor erga eosdem.

Luc: 10. *Dignus eſt Operarius, mercede ſuâ*: Ah quot ſudores? quos Labores, quas Curas, circa nos ſuſcipiunt ſuperiores noſtri: Continuò pervigilant, circa bonũ noſtrũ, tã ſpirituale, quã tẽporale tanquã rationẽ reddituri: provident ſollicitè neceſſitatibus noſtris, cum nos alto ſopore deprimimur; ab illorum oculis, ſomnus, non ſe-

mel

mel refugit, cum nos ſecurè raucos ducimus, ipſi ſtudiosè Cogitant, ut benè ſit nobis; ne calore diſſolvamur, ne frigore Conſumamur, ne fame extingvamur, ne ſiti pereamus, ut bonâ valetudine potiamur, ipſorum eſt curæ, & ſolicitudinis, rarò carnales Parentes, tam exactam Curam Liberorum habent, quantam erga nos ſuperiores gerunt, non ne mererur pro tantis obſequijs mercedem amoris. Expendamus ultra, quomodo procurant bona ſpiritualia, vellent nos in Cherubinos, Seraphinos, transformare, Sanctos deſiderant efficere, non deſunt monitionibus, accendunt ad virtutem exemplis, & verbis. Subtrahunt pericula, & occaſiones peccandi, ſi quas irregularitates in nobis advertunt, quomodo Contriſtantur, Conturbantur, remedia quærunt, juſtè illud Apoſtolicum ſibi appropriantes: *quis infirmatur & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non Uror*; & quod majus eſt, illa omnia obſequia, gratis exhibent, & ſolo amore benevolentiæ, non enim illis exinde ſeritur, aut metitur. O! Eccleſiaſtice hæc jugiter expendens, Lapis es, ſi non reddis Amorem, pro Amore; hæc tibi quidem non ignota ſunt, attamen, quot odia,

quot

quot averſiones, ex Levi, & ferê puerili apprehenſione, aut ſuſcipione, contra illos foves, torvô oculo reſpicis, Confidentiam amittis. O ingratè! *numquid redditur, pro bono, malum.*

Dependentia ab Eisdem.

Hæbr:13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis,* non enim moventur inferiora, niſi ad motum ſuperiorum, & niſi iſta ſubordinatio inter inferiora, & ſuperiora, ab Authore naturæ inſtituta fuiſſent, quanta Confuſio, quanta inordinatio in Univerſo cerneretur, imò perditio Univerſo, brevi immineret. Quam putas Confuſionem, in illa domo, reperiri, in qua dependentia à ſuperioribus, & Sancta illa ſubordinatio, vacillat, ubi ſubjecta Contrario motu, ad mandata ſuperiorum, aguntur, ubi è proprio genio, aliquid aſſumitur, non quod Obedientia præſcribit, ubi hoc & illud datur, accipitur, omittitur, inſcio, aut Contradicente ſuperiore, verè nova Babel, à filijs Adam, à filijs inobedientiæ, conſtruitur: non ſperandum aliud, niſi Confuſio, everſio ſpiritûs, extinctio regularitatis. Conjce in ſuper, oculos, uſq; in Empyreum Cælum, in eoq; inter Cæleſtes illos genios, paulisper in ſpiritu ſubſiſte, & Contemplare, quanta ſubordinatio.

dinatio, inter illos diviniſſimus ſpiritûs reperitur. Inferiores Angeli, illuminantur à ſuperioribus, non contra: mandataq́ ab illis accepta, non aliter exeqvuntur, niſi, ut Commendata; ſpiritualiter fac, ſupra te ipſum reflexionem. Ecce poſitus es, tanquàm in terreſtri Cælo, in vocatione tua, de qua, ullo modo dici poteſt, quod ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; expende id, & deprehendes veritatem; iam dudùm in Angelum evaſurus eras, vitæ innocentiâ, ſpiritûs fervore, & exacta obedientiâ; tu forte nec Angelũ induiſti, Cælumq́ hoc tua independentia, relaxationem inobedientia, & non rarò, cum gravi Læſione Conſcientiæ, in triſtem orcum commutaſti. Confundere coram DEO, & deprecare Dominum, ne te velut Saulem inobedientem, abijciat, à gratia ſua, ac in poſterùm te fore circumſpectiorem, & exactiorẽ, in hac materia, ſerio propone.

CONSIDERATIO LXII.

De Fuga Oſtentationis.

PUNCTUM PRIMUM.

NOlite loqui ſublimia, gloriantes; imô abſit ab

Operario Evangelico, agere quidquàm propter oſtentationem, alias ſeipſum prædicaret, & non JESUM Crucifixum, & cum Phariſæis, gloriam hominum quærendo, amitteret Conſortium Angelorum, tum quia multoties permittit DEUS in eos, qui humanos plauſus ſibilos quærunt, magnas Confuſiones, qui volunt videri, magnificari, appretiari, ob talenta, eloquentiã, doctrinam æſtimari; pro nihilo ſæpius habentur, deſpiciuntur, nullasq; Laudes ob elaboratas Conciones, juſto DEI judicio, referunt, niſi illas, vanæ gloriæ cupidorum, ordinarias, breviter, Confuſè. nihil ad rem, experientia non unum edocuit, quod quotiescunq; in altum attollere, illicò Confuſionis alicujus immerſus aquis, ſero deprehenditur, quod *qui ſe exaltat humiliabitur.* Expende 2. Nihil futiliùs eſſe corde Sacerdotis, quàm tam abjectum finem præſtituere actionibus ſuis, qui ſincerè DEI gloriam, & ſalutem Animarum quærere tenetur; ex quo merito hanc Levem auram propriæ oſtentationis attrahere Cupis? ut recipias in hac vita mercedem, ah quàm indignam ſeriotutinã! Rex ille Ezechias, qui oſtendebat theſauros, eos amiſit.

PUN.

PUNCTUM SECUNDUM.

QUi gloriatur in Domino glorietur, non enim qui 2. Cor: 10.
ſeipſum Commendat, ille probatus eſt, ſed quẽ Deus Commendat. Agat igitur quod vult, amore propriæ excellentiæ, obcæcatus animus Laboret, deſudet, & Laudetur, pro docto, diſerto habeatur, verùm quid iſta juvant, ſi à Domino DEO, ob appetitum vanitatis, & inanis gloriæ, deſpiciatur, reptetur, & vilipendatur. O! bonitas infinita Domine DEUS meus, malo gratiam tuam, & cum deſpectu humano, quàm videri in oculis Mundi, magnus, ſine tua gratia; malo cum tua benedictione, pro minimo judicari, quàm cum tua maledictione, in ore omnium verſari, quid enim prodeſt placere hominibus, ſi tibi diſpliceam. Expende ultra, quid Conducet ad Salutem, etiamſi ab omnibus dilauderis, æſtimeris, magnus Concionator prædiceris: Si à DEO non Commendaberis, nunquid plauſus humani, te Salvabunt, ſi meritis carueris. Verè fallax eſt humana gratia, & vana Pulchritudo quæſita, ad oſtentationem in ſermonibus, alijsq; Functionibus, qui timet Dominum, ipſe ſalvabitur. Quæſtus plauſuũ, eſt magnum impedimentum,

ad meritum, quia, non Gloria, & Salus Animarum, ſed potius, propria æſtimatio attenditur? hinc gloriolæ humanæ, appetitores dolebunt quandoq; cum ſe poſt inanes Labores, ad oſtentationem effuſos ſudores, videbunt omni merito deſtitutos, in ſtatera poſitos, nihil habentes, o quã deploranda iactura! evita tu illã.

PUNCTUM TERTIUM.

Pſal: 24. *OCuli mei ſemper ad Dominum.* S. Vincentius à Paulo, nullum vitium odio habuit, quàm Oſtentationem, & tu illã deteſtare, hunc unum ſcopum habeant opera tua, ut DEUS glorificetur, Proximus ad Salutem juvetur, illud autem, quid dicent Homines, non Cura; indue affectum S. Vincentij; qui maluit in locis humilioribus, quàm conſpicuis apparere, plusq; ſibi complacuit, cum ſimplicibus ruſticanis converſari, quàm coram Inclytis mirabilia agere, familiares ſermones magis Commendavit, quàm elaboratas ingeniosè concionnes, ut ſic omnem ſpeciem oſtentationis evitaret. Acturus aliquid in Publico, DEI ſolius Gloriam, ob oculos habe, non cura auditorũ Excellentiam, magis complace in Pauperibus. Purifica, quàm potes meliùs, intentionem; approba-

probabuntur, vel, vituperabuntur tua miniſteria, non attendas, non quæras ex alijs, etiam indirectè de Succeſſu Concionis, ſed totum DEO Commenda.

CONSIDERATIO LXIII.

De Fuga Triſtitiæ.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid Confertis adinvicem, & eſtis triſtes. Conſidera ordinariam Operariorum illorum, qui non dum ſibi plenè mortui ſunt, & cum Chriſto Conſepulti tentationem, triſtari, mærerere, tabeſcere, cum illis aliqua functio, ut ipſis videtur, non ſuccedit, quia ejus Concio, non ita, ut optaveramus, eſt dicta, vel videtur nobis ſicca, aut cum non audimus, aliquos approbantes, applaudentes, illicò perturbamur, & quieti eſſe non poſſumus; hinc fit, ut erigamus aures, an aliquid, de noſtra Concione, dicatur; ſi tacetur, excuſamus nos, non ſatis ad rem dixiſſe, ob penuriam temporis, etiamſi de hoc non rogemur. Aliquando nos ipſos vituperamus, ut aliorum de nobis ſenſum expiſcemur; contingit etiam ut ex Confidentibus Luc: 24.

inquiramus, *quem dicunt homines, esse Filium hominis?* placet ne illis Concio, ad gustum ne Auditorum cessit? sin minùs approbetur, ah quanta tristitiâ impletur cor nostrum, verùm, quod Confertis ad invicem, ambulantes, & estis tristes, quare vano mærore Consumeris? numquid propter tuam satisfactionem, aut inanem plausum, hanc Concionem Composuisti? utiq; pro gloria DEI, utilitate Auditorum; ut quid ergo tristaris! apparet ad huc, plus te, propriam gloriam, & complacentiam quæsiviſſe, quàm DEI honorẽ, decet ne, id; Operariũ Evangelicũ.

PUNCTUM SECUNDUM.

Joan: 14. *NOn turbetur Cor vestrum, neq; formidet;* non enim in functionibus sacris, nostram satisfactionem, quærere debemus, sed DEI beneplacitum, & proximi ædificationem. 2. Quo nobis minùs Labor noster placet, plùs est acceptus DEO, & Auditoribus. 3. DEUS maximè tunc operatur bonum, in cordibus Auditorum, quando putamus nos nihil ad rem egisse, idq; ideo, ne viribus, & industriæ nostræ conversionem animarum, adscribamus, experientia non unum edocuit, illas Conciones, quæ Oratori videntur insulsæ, nullius momenti,

maximè

maximè arrisisse Auditoribus, in illisq; Amorẽ virtutis, & pios motus, excitasse; ex adversò, quæ videbatur polita, elaborate Conscripta, nulli placuit, imò Compertum est, cum Concionator e suggestu descendit, totus rubore suffusus, & velut Publicanus, non Audens Oculos Levare, tunc maximè est diabolus Confusus, qui solet rapere verbum ex cordibus Auditorum, tunc proximus ædificatus, tunc maximè Dominus DEUS glorificatus. Expende insuper, te tantummodò esse Ministrum Verbi, instrumentum, Divinæ Providentiæ, ad te pertinet, dicere, ad DEUM Cor movere; ut quid ergo turbaris, si Dominus DEUS usus tuo sermone, ad ædificationem, vel non? numquid tu potes prohibere DEUM, ut nõ faciat quod vult.

PUNCTUM TERTIUM.

ERgo *Filij hominum, ut quid diligitis vanitatem,* Psalm. 4. Dominus DEUS puro, simplici oraculo quæratur, illius solius gustus, beneplacitum in omnibus attendatur, de satisfactione nostra, plausu, nec cogitamus, quinimò, nihil nobis deberi existimemus, nisi Confusionem, & despectum, post Completam functionem, nec cogitàre, quomodo, aut qualiter succesſit, sed

illam

illam appendere ad Domini noſtri JESU Chriſti Crucifixi, pedes noſtramq; inquietudinem, ſi quam exinde patimur, deponere ad eosdem. Commendare Domino DEO, noſtram functionem, ut per illam facere dignetur, quod poteſt eſſe ad guſtum, Sanctiſſimæ voluntatis illius; anxietates, & inquietitudines, ſi quæ oborirentur, generosè vincere, & in hoc ſe hæroicè mortificare, ut ne indirectè quidem (quia natura aſtuta eſt) inquiramus, de ſucceſſu functionis noſtræ, ſed illam ex toto Domino DEO Committamus.

CONSIDERATIO LXIV.

De Fuga Invidiæ.

PUNCTUM PRIMUM

ALter metuendus eſt ſcopulus, in quem non rarò, minùs cauti impingunt Operarij, eſt invidia, quæ ita eſt ſubtilis, & virulenta, ut aliquando etiam benè illuminatos, & Spirituales Viros pulſare non ceſſet, cum enim videris aliquos, gloriosè functiones publicas peragere, conciones cum plauſu dicere, cum audiunt ipſos ab alijs laudari, de ſe autem taceri, aut cum exiſtimant ab alijs, meliùs quam ab illo res fieri, illicò perturbantur, inquietis cogitationibus dilaniantur, ac ſi magnum ſuæ excellentiæ diſpendium paterentur, ex eo; quod aliorum geſta approbentur. Hinc fit, ut cum illi quibus invident Laudentur,

ipſi

ipsi tacent, vel si aliquid dicunt, valdè modicum approbando, quasi per dentes, ne videantur invidi, sed etiam reprobando, defectus remonstrando, aliquando ita excæcantur, ut quod omnes Laudent, ipsi vituperent, aut ita Silentiosi fiunt, ut videantur, damnare. Ah mi Christiane, occupavit tua Labia, dæmonium mutum, cur non approbas, cum alijs? cur non gaudes ex corde, de talentis? cur non benedicis DEUM, de gratia illi collata? parùm refert, per te ne, vel illum Deus glorificetur, modo glorificetur, & proximus ædificetur. Cur cum Moyse, non exclamas: *Utinam omnis populus prophetet*: O si hoc faceres, quantum meritum, labore alieno, tibi comparares?

PUNCTUM SECUNDUM.

PEr *invidiam diaboli intravit mors in mundum.* Rom: 5.
Imò multorum malorum, ut potè capitale vitium, & radix invidia. Ipsa ut potê peccatum mortale ex genere suo, destituit animam gratiâ Divinâ, ah quanta jactura! ipsa extingvit charitatem fraternam, ipsa nutrit superbiam, ipsa pacem internam tollit, aversionum est Mater, ut sereno oculo, proximus inspici neqveat, ipsa discordiarum est fomentum, detractionum auctrix, contentionum seges, tortura extrema, verbo: abominanda hydra, non septem, sed innumerabilia malorum gerens capita. Est peccatum Caimi fratricidæ, imò diabolicum, qvi invidet exaltationem humanitatis Christi Domini, & Paradisum generi humano. Vide, qvo est, abreptus, qvi invidiâ tabescit. Hoc peccatum singularibus, in inferno plectitur supplicijs. O! detestandum vitium, utinam nec nominetur in corde, Operariorum Evangelicorum: verùm ah mi DEUS, quoties me pulsavit hoc vitium, cum vidi alium,

mihi prælatum, cum existimavi alium, me, melius agere, toties invidiâ Laniatus fui: Parce Domine, misero peccatori, & non permittas ultra coinquinari famulum tuum, tam infami peccato.

PUNCTUM TERTIUM.

P*Ejores sunt diabolo invidiosi.* Inquit Sanctus Chrisostomus. Hinc cogitabo frequenter, indignitatem istius vitij, illudq; ex corde detestabor, minimam scintillam prosilientis invidiæ, ex corde, mortis in agone, seriò extingvere conabor; gaudebo de aliorum prosperis successibus, eosq; contra propriam inclinationem, coram alijs Laudabo, servitia, propensionem, affectus, maxime illi exhibebo, contra quem invidiæ motus, exoriri advertero, ipsum specialiter, Domino DEO commendabo, ut eum faciat crescere, in mille millia, supplex orabo. Ex sincera humilitate, me dignum omni vituperio, & contemptu judicabo. Omnes alios, longe meliùs, res agere, quàm me, ingenuè, profitebor; tam ore, quam corde. Confitebor me, ad nihil planè, utilem esse. Rogabo Dominum DEUM, ut impleat me charitate, quæ non invidet, non agit perperam, non inflatur, non æmulatur.

CONSIDERATIO LXV.

De Consummatione functionum Operarij Evangelici.

PUNCTUM PRIMUM.

Lucæ 10. R*Eversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes: etiam dæmonia subjciuntur nobis.* Considera ordinariam Operariorum sedulorum tentationem esse, cum eis functiones succedunt, dum approbantur, & celebrantur à turbis

à turbis exultare gaudere, & quandam complacentiam ac gustum in suis laboribus sentire; Hinc continere non possunt, qvin ex abundantia interioris gaudij prædicent & glorientur, se fructuosè laborasse, multos conversos obduratos, etiam dæmonia incarnata subiecta esse. Simile quid Discipulis contigisse cernimus, cum etenim langventes curarent, dæmones eijcerent, à turbis se glorificari viderentur cum gaudio revertebantur, verum vide quod sibi suæq; dexteritati nihil adscribant, sed Domini JESU, dicentes *In nomine tuo &c.* & tu vanè Noli exultare, aut tibi adscribere, si quid boni gesseris, sed totum DEO attribue; Ipse te elegit, ipse instruxit, ipse illuminavit, ad pœnitentiam accendit, ipse omnia ad suam gloriam direxit, ipsi totum debetur, tibi nihil. Etiamsi dæmonia eijceres, aut miracula uelut Eliseus patrares, utiq; id non tuæ virtuti, sed Divinæ Omnipotentiæ adscribendum esset. Vide ergo ne vanè exultes & manum propriã tanquã effectricẽ tantorum bonorum deosculeris.

PUNCTUM SECUNDUM.

V*Idi Satanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem.* Luc. 10.
Cum Dominus JESUS advertisset Discipulos gaudio qvodam diffluere ex rebus benè gestis, ut eos ab omni vanitate erueret; ruinam primi Angeli eis ob oculos ponit. Vide ergo qvam & tu cautus esse debeas, ne ex sanctis laboribus umbra etiam vanitatis de munere benè gesto te pulset. Inculca tibi. *Vidi Satanam tanquam fulgur cadentem de Cælo*, qvi ob unam superbam cogitationem & complacentiam in donis sibi à DEO collatis evanescẽs, tanqvam fulgur, in ictu oculi vix se fastuosè extollere cœpit, illico de Cælo eijcitur: Ne & tu ob vanam com-

pla-

placentiam aut jactantiam meritum perdas, & à DEO humilieris, nullum etenim peccatum ita velociter punit DEUS, ſicut ſuperbiam.

PUNCTUM TERTIUM.

Lucæ 10. *IN hoc nolite gaudere quod Spiritus ſubjciantur vobis, gaudete autem quia nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælis.* Docere, prædicare, zelosè circa animas agere, imò miracula patrare, ſunt gratiæ gratis datæ, qvæ etiam peccatoribus, imò reprobis conceduntur, uti & Saul inter Prophetas. Non habes igitur unde exultes de ijs, quæ te in æternum perdere poſſunt; verùm in hoc age, ut nomen tuum laboresq; tui inſcribantur Libro vitæ. Quapropter peractis tuis functionibus & laboribus Apoſtolicis, ſerio & ex corde illos DEO dedica, qvid qvid in ijs benè geſtum eſt DEO attribue; quid quid verò mali tibi imputa. Gratias DEO age pro omnibus gratijs, Tibi, cooperarijs & omni populo conceſſis. Deprecare Dominum pro omnibus defectibus à te ſub tempus exercitij tuarum functionum commiſſis: Confundere coram DEO, quod fortè tui defectus & peccata impedierunt uberiores fructus ex functionibus Apoſtolicis colligendos. Noli tuba canere ante te garriendo, jactando ſe de laboribus, ſed cautè, modeſtè & valde ſobriè idq; neceſſitate exigente loqueris; ſi labor tuus non ſucceſſit ad mentem noli eſſe amarus, & non habebis occaſionem evaneſcendi. Deniq; ſi quid boni DEUS per te operatus eſt, illud totum in ipſum refunde quid etenim habes quod non accepiſti? DEO igitur ſoli honor & gloria ab omni Creatura.

CON-

CONSIDERATIO LXVI.

Reflexio supra peractas functiones Apostolicas.

PUNCTUM PRIMUM.

Piscatores lavabant retia sua. Considera morem fuis- Lucæ 5.
se Apostolorum à piscatura vocatorum, post peractam capturam diligenter lavare retia, & eadem luto ac fuligine quam piscando contraxerunt emundare; vix etenim esse potest, ut rete non maculetur quantumvis in limpidissima aqua laxetur, hinc indilatè laborandum, ne computrescat & damnosè corrumpatur. Idem tibi qui Piscatores animarũ agere convenit; Laxasti retia Spiritualia in tuis concionib9,cõfessionibus excipiendis,capiebas pecatores tuis spiritualibus monitis, exhortationibus,Cathechismis; verùm diligenter expende,an aliquid de mundano luto in hoc ministerio nõ contraxeris,an aliquis affect9, ad illicita non sit conceptus,an tangendo picem ab ea non sis coinquinatus, an aliorũ conscientias emundando tuam non pollueris, an pulvis vanæ gloriæ, complacentiæ in rebus benè gestis non adhæserit; an fortè hæc ruminando non dices cum Psalte: *Lava me Domine ab iniqui-* Psalm: 50.
tate mea, & à peccato meo munda me.

PUNCTUM SECUNDUM.

Erant reficientes retia sua. Alter mos Piscatorum Math: 4.
reficere retia. si etenim ferrum consumitur usu, multo magis rete, imò vix extrahi potest, quin aliquam scissuram patiatur. Observa eundem morem, & examina diligenter scissuras animæ. Forte non semel modestia vim passa, mansvetudo rupta, humilitas fracta; igitur

refice. fortè factus es diſſipatus, indevotus, liber in agendo & loquendo cum offenſa aliorum, refice: fortê aliorum ſaluti invigilando te neglexiſti, refice: fortè fervor ſpiritus imminutus, ad mundana, ad amicitias ſæculariũ, affectus conceptus, refice: fortè te in multis erraſſe cognoſcis; forté cum læſione propriæ aliorum conſcientias reſolviſti, fortê te reum multorum defectuum deprehendis, refice retia.

PUNCTUM TERTIUM.

COnſidera inſuper morem Piſcatorum, lotis retibus ijsq; benê reparatis, ea componere & in tuto collocare, idem age poſt per actos tuos labores, ſerva te in ſolitudine & ſilentio, collige te quam diligentiſſimê poteris: examina defectus commiſſos, eosq; deſle, DEUM deprecare, contra illos te in futurum communias, devotioni ac ſpiritualitati inſiſte, quæ malè egiſti emendare ſtude: in poſterum te cautius acturum propone. Adnota tibi media quibus utaris ad vitandos ſimiles defectus: reaccende in te fervorem ſpiritualem. Verbo ſic age ut fortior, devotior, ferventior, exemplarior, meliusq; inſtructus ac mortificatus progrediaris ad futuros labores functionum tuarum Apoſtolicarum.

F I N I S.

Omnia Ad M. D. G.

Facultas Illustrissimi Loci Ordinarij.

LIber, cui Titulus *Speculum Homini Ecclesiastico Propositum*, à devoto quodam Presbytero editus, quatenùs in Diæcesi Nostra Luceorienſi, vel Brestenſi, prævio Theologorum ſcrutinio, Typis mandari valeat, Facultatem concedimus. Dat Varſaviæ Die 16. Menſis Octobris Anno Domini 1740.

Franciſcus Epiſcopus.

mp:

INDEX
Considerationum in hoc Libro.

Consideratio I. *De Excellentia Functionis Apostolicæ.* - - *Fol:* 1.

Consideratio II. *De Zelo Animarum.* *Fol:* 3.

Consideratio III. *De Cura sui ipsius.* *Fol:* 6.

Consideratio IV. *De Recta Intentione.* *Fol:* 8.

Consideratio V. *De Spiritu Operarij Evangelici.* *Fol:* 11.

Consideratio VI. *De Modestia Operarij Evangelici.* - - - 14.

Consideratio VII. *De Simplicitate Operarij Evangelici.* - - - 16.

Consideratio VIII. *De Humilitate Operarij Evangelici.* - - - 20.

Consideratio IX. *De Mansvetudine ejusdem Operarij.* - - - 23.

Consideratio X. *De Mortificatione Operarij Evangelici.* - - 27.

Consideratio XI. *De Mortificatione Visûs.* 30.

Consideratio XII. *De Mortificatione Auditûs.* 34.

Consideratio XIII. *De Mortificatione Gustûs.* 37.

Consideratio XIV. *De Custodia linguæ Operario Evangelico necessaria.* - 41.

Con-

Consideratio XV. *De Mortificatione Judicij proprij.* - - - 43.
Consideratio XVI. *De Abnegatione Voluntatis propriæ.* - - 46.
Consideratio XVII. *De Zelo Animarum.* 50.
Consideratio XVIII. *De Exemplaritate Operarij Evangelici.* - - 53.
Consideratio XIX. *De Qualitate Viri Apostolici.* - - - 55.
Consideratio XX. *De Tolerantia Persecutionis.* - - - 57.
Consideratio XXI. *De Dilectione Inimicorum.* - - - - 58.
Consideratio XXII. *De Regularitate Operarij Evangelici.* - - - 62.
Consideratio XXIII. *De Oratione Operarij Evangelici.* - - - 95.
Consid: XXIV. *De Charitate Fraterna.* 69.
Consideratio. XXV. *De Memoria Præsentiæ DEI.* - - 72.
Consid: XXVI. *De Cordis Compunctione.* 76.
Consid: XXVII. *De Fervore Spiritûs.* 90.
Consid: XXVIII. *De Unione cum DEO.* 93.
Consid: XXIX. *De Recollectione Operarij Evangelici.* - - - 97.

Consid: XXX. *De Cura Minimorum.* 102.
Consid: XXXI. *De Paupertate Operarij Evangelici.* - - 105.
Consid: XXXII. *De Castitate.* - 108.
Consideratio. XXXIII. *De Fuga Conversationis muliebris.* - - 111.
Consideratio XXXIV. *De Obedientia.* 114.
Consideratio XXXV. *De Moderatione Phi-lautiæ seu Amoris proprij.* - 117.
Consideratio XXXVI. *De Exinanitione sui ipsius.* - - - 121.
Consideratio XXXVII. *De Diffidentia sui ipsius.* - - - 125.
Consideratio XXXVIII. *De Fiducia in Deo* 129.
Consideratio XXXIX *De Conformitate cum Voluntate Divina.* - - 134.
Consideratio XL. *De Sanctitate Operarij Evangelici.* - - - 137.
Consideratio XLI. *De Custodia Cordis.* 140.
Consideratio XLII. *De Perfectione Operarij Evangelici.* - - 144.
Consideratio XLIII. *De Conservatione in Spiritu.* - - - 148 184.
Consideratio XLIV. *De Amore propriæ Vocationis.* - - - 151.

Con-

Consideratio XLV. *De Stabilitate in Vocatione.* - - - 153.
Consideratio XLVI. *De infelici exitu vocationis desertæ.* - - 157.
Consideratio XLVII. *De Digna Sacramentorum Administratione.* - 162.
Consideratio XLVIII. *De Fuga Pusillanimitatis.* - - - 165.
Consideratio XLIX. *De Tolerãtia Laborũ.* 167.
Consideratio L. *De Frequẽtatione Functionis Apostolicæ.* - - - 169.
Consideratio LI. *De Functione Catechizãdi.* 173.
Consideratio LII. *De Auditione Cõfessionũ.* 177.
Consideratio LIII. *De Eruditione Operarij Evangelici.* - - - 180.
Consideratio LIV. *De Prædicatione.* 183.
Consideratio LV. *De Conversatione Operarij Evangelici.* - - 187.
Consideratio LVI. *De Fuga Amicitiarum cum Sæcularibus.* - - 190.
Consideratio LVII. *De Diligentia, in Servitio Divino.* - - - 194.
Consideratio LVIII. *De Fortitudine Operarij Evangelici.* - - 19[illegible]

INDEX.

Consideratio LIX. *De grata Susceptione Correctionis.* - - - 201.

Consideratio LX. *De Fuga Prætensionis Commoditatum.* - - - 205.

Consideratio LXI. *De Officijs erga Superiores.* - - - 208.

Consideratio LXII. *De Fuga Ostentationis.* 215.

Consideratio LXIII. *De Fuga Tristitiæ.* 219.

Consideratio LXIV. *De Fuga Invidiæ.* 222.

Consideratio LXV. *De Consummatione functionis Operarij Evangelici.* - 224.

Consideratio LXVI. *Reflexio supra peractas functiones Apostolicas.* - 227.

BIBLIOTEKA PUBLICZNA
S | 4
Czyt. Książek
w Białymstoku

750 —

342200

20 Xu 86